APOLOGIA

PRO

EXIMIO DOMINO

MARTINO DE SWAEN

SACRÆ THEOLOGIÆ DOCTORE.

CONTRA

R. PATREM VAN OUTERS ALIOSQUE.

PER

HILARIUM EVANGELIOPHORUM.

LEODII,

Typis HENRICI HOYOUX.

M.DC.XCIII.

Cum Approbatione.

Continetur hâc apologiâ etiam defensio Censuræ Lovaniensis, atque Duacenæ.

PRÆFATIO.

Solemne fuit, & etiamnum est Molinistis, Viros quosque integerrimos, propter doctrinam quam tuentur de Gratia Christi, LUTHERANISMI, CALVINISMI ac JANSENISMI, tum publicè tum privatim reos agere, quamvis non aliam eos hac in materia doctrinam propugnare quàm de Gratia per se efficaci, certissimò constet.

Convitiis depugnant & atrocibus scommatis modò in hos, modò in illos, modò in omnes simul, qui versatilem istam quam mordicus propugnant gratiam, fateri nolunt ab Ecclesia esse canonizatam. Hos illi velut *Rigoristas*, *Jansenistas*, *Hæreticos*, velut *omnem Religionem evertere machinantes*, editis Libellis Scriptisque verè famosis, passim depingunt. Testis sit turpis illa Satyra, si à mundo condito visa fuit ulla, cujus ego confido, ipsum auctorem jam pudet: *Jansenismus omnem Religionem evertens*, in qua Viri omnis generis, omnis Statûs, Nationis, Ordinis & Conditionis, quos boni omnes, infrendeant licet Molinistæ, non ut *tectos* (sic garrit Satyra) *larvâ modestiæ, pietatis & rigidioris Ethicæ*, sed verè modestos, verè pios, ac viam Cœli quæ teste ipsâ Veritate æternâ, *angusta* est & *arcta*, discentes & docentes, venerantur atque suspiciunt, delineantur tamquam qui *ea stabiliant dogmata* (verba sunt Satyræ) *quibus Ecclesiæ atque omnis prorsùs Religionis fundamenta subruantur.*

Tam exulcerata jam vivimus tempora, ut hæc talia audire debeat quisquis Molinistarum nutibus subservire recusans, sententiam tuetur de Gratia per se efficaci, prout in Scholis Catholicis communiter prælegitur.

Ob hanc præcipuè causam impetitur Eximius D.

De Swaen à Didaco de Oropega, ut se vocat, à Patre De Bruyn, à Patre Van Outers aliisquè, à quibus audire debet *Veterator*, *Malignus*, *vafer*, *Jansenista*, id est, si eis credimus, Hæreticus vel Hæretico pejor; imò à Didaco de Oropega in Scripto cui titulus: *Confutatio Libelli anonymi* &c. pag. 53. audire debet quòd à mitissimo Augustino desperatissimi Hæretici: *Vos estis morum ruina, qui ipsius Fidei supra quam mores ædificandi sunt, nitimini fundamenta subvertere.*

Hæc præsertim dicteria & plura id genus alia, argumentum nobis occasionemque subministrarunt, ut, dum Eximium D. De Swaen ab impactis sibi ingenti stoliditate calumniis vindicamus, paulò altiùs calumniarum earum omnium causam principem panderemus. Pandemus autem, ostendendo tria per totidem capita.

Cap. 1. ostendemus Molinistas passim insectari & exagitare suos adversarios propter doctrinam quam hi tuentur de Gratia per se efficaci.

Cap. 2. probabimus ob eandem eos rationem solere carpere doctrinam Censurarum Lovaniensis & Duacensis. Ubi simul evertetur Historia Censuræ Lovaniensis quam nobis texere voluit Pater Van Outers.

Cap. 3. demonstrabimus quòd eandem illam potissimum ob rationem, in Eximium D. De Swaen debacchetur Pater Van Outers. Licet hic etiam ob aliam rationem sed ineptissimam, ut ibidem videbimus, eumdem S. T. Doctorem ingentibus lapidet convitiis.

CAPUT PRIMUM.

§. I.

Quis ante Molinam sensus Catholicorum circa gratiam & prædestinationem.

Ante Molinam, gratiam per se efficacem propugnant Academiæ.

SUperiori seculo præstantissimæ orbis Academiæ Parisiensis in Galliâ, Salmanticensis, & Vallisoletana in Hispaniâ, Lovaniensis ac Duacensis in Belgio, Coloniensis in Germaniâ, aliæque in aliis mundi plagis, doctrinam S. Augustini de gratiâ per se efficaci & prædestinatione ante prævisa merita, unanimi consensu asserebant.

Episcopi.

Deindè præclarissimi Hispaniæ, Belgiique Præsules, nobilissimi quique Theologi, quin ipse etiam Bellarminus, aliique Theologi Societatis, qui ante Lessium in Belgio, ante Molinam in Hispaniâ floruerunt, eandem doctrinam invictissimè propugnabant.

Ordines religiosi.

Omnes sunt unius labii

Omnes denique omnium Religiosarum familiarum ordines eadem S. Augustini dogmata quanto poterant zelo tuebantur.

Molina & Lessius nova invehunt dogmata.

Hinc eo tempore nullæ circà hanc doctrinam disputationes, nullæ animorum discordiæ, omnes siquidem erant unius labii. Pax erat super terram, & sedebat unusquisque in Cathedrâ suâ, nec erat qui eos terreret. Cum ecce prodiit in Hispaniâ Ludovicus Molina, in Belgio Leonardus Lessius, qui novam quandam in hac materia, & usque ad ea tempora Catholicis incognitam, invehunt doctrinam.

Potissimum circa annum 1586. vide Lemos Tom. 1. fol. 125. & seqq.

Oriuntur dissidia.

Itaque dissidia oriuntur, contentiones & partium studia, ut in præfatione Censuræ suæ, sive judicii scholastici queruntur majores nostri.

Reclamat Academia Lovaniensis.

Reclamant passim nobilissimæ orbis Academiæ: & Lovaniensis quidem superioris seculi anno 1586. contra unum &

triginta articulos anno 1586. in ſcholis Patrum Societatis Jeſu Lovanii traditos cenſuram edit ſeu judicium ſcholaſticum.

PP. Soc. ſcribunt Apologiam

Patres Societatis Jeſu non ideò à præformatis ſuis opinationibus receſſerunt: imo contra anno 1588. Apologiam edunt quam Cenſuræ opponunt. Quo factum eſt ut eadem Facultas juſſu RR^{morum} ac Ill^{norum} Belgii Epiſcoporum Cenſuræ ſuæ juſtificationem a duodecim Sacræ Theologiæ Magiſtris unanimi conſenſu probatam conſcriberet, in qua ſententias ſuas ſolidiſſimè aſſerunt & Patrum Societatis invictiſſimè refutant.

Refutatur

Reclamat Academia Duacenſis

Secuta eſt Facultas Theologica Duacenſis, quæ anno 1588. eoſdem illos triginta & unum articulos pro meriti; editâ cenſurâ caſtigavit.

Salmanticenſis.

Acceſſit dein & alia inſignis Academia Salmanticenſis, quæ in ſuâ doctiſſimâ cenſurâ datâ juſſu & de mandato ſupremi Senatus Sanctæ ac generalis inquiſitionis in Hiſpaniæ regnis 22. die menſis Julii Anno 1595. in qua & ſeptem Doctiſſimi Theologi ſubſcribunt per novem Catholicas propoſitiones (quas egregiis probationibus confirmarunt) apertè oſtendunt, quid de materia divinorum auxiliorum tenendum ſit contra ſententiam Ludovici Molinæ & PP. Societatis. Lemos tom. 1. fol. 288

Pariſienſis etiam cenſuris editis non ſemel, teſte Lemos, divinæ voluntatis efficacem prædeſtinationem retinuit, & illam impugnantes ſicut libertatis noſtræ impeditivam compeſcuit. *tom. 1. Tract. 3. Cap. 5.*

Sententiam Molinæ & Leſſii non modo improbarunt ſapientiſſimæ Orbis Academiæ; ſed & præclariſſimi Epiſcopi tum in Hiſpaniâ, tum in Belgio.

Epiſcopi Belgii

De Epiſcopis Belgii ipſi teſtantur Jeſuitæ. "Mechlinienſem Imago primi ſæculi
„ ac Cameracenſem Metropolitas Synodum paraſſe Epiſcoporum, qua dogmata à duabus Facultatibus damnata diſcuterent, eademque toto proſcriberent Belgio tamquam impias Maſſilienſium aut Pelagii reliquias adeoque Societati notam inurerent hæreticæ pravitatis.

Hiſpania

„ De Epiſcopis Hiſpaniæ teſtatur Lemos. Conſulti, inquit Tom. 1. part. 2. Tract. 5. Cap. 35.
„ Epiſcopi Hiſpaniæ, qui (ut notum eſt) & doctrina, & religione ſunt Præſtantiſſimi, & qui Molinæ novam concordiam, hâc mediâ ſcientiâ fundatam, attentiùs conſiderarunt, pariter damnavêre & damnandam judicarunt.

Inſuper,

Et inquisitio. Insuper, pergit Lemos "Supremum in Hispaniis inquisitionis tribunal visâ & examinatâ accuratissimè causâ & novâ Molinæ concordiâ (sicut & semper facere consuevit) quid de Molinæ concordiâ cum mediâ scientiâ unico illius fundamento faceret, ipsimet Authores sciunt, nisi causâ istâ ad hanc almam Urbem à Sanctissimo examinanda devoluta esset: ubi per aliquot annos semel, iterum, atque tertiò diligentissimè examinata à Doctissimis Episcopis & Doctoribus ad id à Sanctissimo consignatis semper damnata fuit, sicut Pelagianorum fulcimentum".

Sic excepta est Molinæ Lessiique doctrina, à præstantissimis Academiis, à gravissimis Episcopis, summis Theologis in Hispania, in Belgio, in Italia.

Armantur contra novatores Academiæ. Et profectò hic silere religioni sibi ducebant Academiæ, Episcopi, viri omnes Theologi religionis & veritatis amantes, cum viderent doctrinam Magni Patris Augustini, in quâ tuenda, explicandâ ac illustrandâ tot annis, tot editis libris, tantâ diligentiâ atque instantia vir tanto ingenio, tanta sapientiâ tot Dei dotibus tam excellenter ornatus, jam ævi maturus ac senex pro Dei Ecclesia desudaverat, totam propemodum ex proposito oppugnari funditusque destrui & everti. In præfatione Censuræ

Non poterat eis, fateor, non vehementer displicere quod novellorum istorum dogmatum primi Authores non modo a S. Augustini sententia se recedere audacter & palam profiterentur, *Et jurermento offenduntur.* sed ipsum etiam Augustinum imperitum fuisse, stupidum, ac humani arbitrii libertatem ipsum cum Calvino & Luthero evertisse, magnâ certè procaciâ asserere non vererentur. Quod ut cuivis manifestè pateat, sequentibus aliquot paragraphis paucis ostendemus. Ibidem.

§. II.

Doctrinam suam novam esse, & Augustino cæterisque Patribus incognitam jactitat Molina.

Ludovicus Molina postquam S. Augustinum arguisset cæcitatis utpotè qui non vidisset ob doctrinam suam de gratiâ & prædestinatione plurimos fideles ex iis præsertim qui in Gallia morabantur non modò indoctos aliquos, sed Viros etiam doctis- In Concordia q. 23. art. 4. & 5. Disp. 4. memb. ult.

doctissimos & Episcopali dignitate fulgentes turbatos & in discrimen salutis vocatos, suam Augustini præponens sententiam audacter pronuntiat: *Quod si data explanataque semper fuisset fortè neque Pelagiana hæresis fuisset exorta, neque Lutherani tam impudenter arbitrii nostri libertatem fuissent ausi negare, obtendentes cum divinâ gratiâ & prædestinatione cohærere non posse, neque ex Augustini opinione, concertationibusque cum Pelagianis, tot fideles fuissent turbati, ad Pelagianosque defecissent, facileque reliquiæ illæ Pelagianorum in Gallia, quarum in Epistolis Prosperi & Hilarii fit mentio, fuissent extinctæ.*

Fatetur suam doctrinam ignotam fuisse S. Aug cæterisque

Multum profectò Ecclesia perdidit quod Molinam Augustinus, cæterique PP audire non potuerint. *Neque enim dubito*, inquit, *quin ab Augustino & cæteris Patribus unanimi consensu comprobata fuisset hæc nostra de prædestinatione sententia, ratioque conciliandi libertatem arbitrii cum divinâ gratiâ, præscientiâ & prædestinatione*, SI EIS PROPOSITA FUISSET. Ibidem

Imo toti retro antiquitati.

Quid? Quod antè Molinam ipso Molinâ fatente nemo unus Molinæ doctrinam tradiderit: *hæc nostra*, inquit, *ratio conciliandi libertatem arbitrii cum divinâ gratiâ, à nemine quem viderim hucusque tradita fuit.*

Cum summâ injuriâ in Ecclesiam.

Sic sua ille ex privato suo cerebro nata commenta præfert Theologorum, totius retrò antiquitatis, omnium SS. PP. imo Patris Patrum Augustini probatissimæ doctrinæ, ipsiusque adeò Ecclesiæ quæ non dubitavit tantum tribuere Authoritatis Augustino contra gratiæ inimicos, quantum contra Valentinianos & Gnosticos Irenæo, contrà Arianos Athanasio atque Hilario, contra Nestorianos Cyrillo, denique contra Eutichianos Leoni Pontifici. Sed à Molinâ pergamus ad discipulos, & videamus quid illi de S. Augustino deque ejus doctrinâ censuerint.

Vide Authorem vitæ Bellarmini. Lib. 3. Cap. 5.

Vide Præfationem Censuræ Lov.

§. III.

Patres Societatis J. parvipendunt sententiam S. Augustini.

Iesuitæ Lovan. ab Aug. recedere sibi videntur.

R. PP. Soc. J. in Responsione suâ ad præfationem Censuræ Lovaniensis seduli Molinæ discipuli, Molinam in notanda doctrina S. Augustini si non assequuntur, certè sequuntur: *Facilius refutabis*, inquiunt, *hæreses nostri temporis si teneas talem electionem*

ctionem efficatem & immediatam ad gloriam ante omnem prævisionem factam non esse. Atque hoc totum est in quo visus sum à Divo Augustino recedere: nam in aliis omnibus ex professo Divum Augustinum secutus sum.

In eadem responsione sic habent: *Dicimus hanc Propositionem: electionem ad gloriam esse ex prævisis meritis, esse apertè sententiam Græcorum, quod patet ex D. Ruardo Tappero, & Driedone & ostendimus satis multis testimoniis. Contrariam verò sententiam dicebamus tribui Augustino; nunc autem putamus nostram esse D. Augustini. Id si tamen non esset*, NIHIL SANE PERICULI ESSET *ut alias demonstravi.*

In eo nihil esse contendunt periculi.

Idem ferè, ut nemini relinquant de mente sua dubitandi locum, paulò inferiùs repetunt. *Sed quid quæso*, inquiunt, *periculi, si in aliquâ particulâ, cum plurimas quæstiones ista materia complectatur, à Divo Augustino recedatur.*

Hic doctrinam D. Aug. de prædestinatione vocant *particulam*, & paulò inferiùs, *quæstiunculam*: verum quod dicitur de *particula*, vel de *quæstiuncula*, invidiæ declinandæ causa dicitur. Cum revera ut in præfatione Censuræ suæ rectè notarunt majores nostri, non aliqua particula, sed tota propemodum Augustini de Gratia & Libero Arbitrio &c. doctrina oppugnaretur & everteretur.

Quod autem hic timidè adjecerunt: *putamus nostram sententiam esse Divi Augustini*, honori Societatis consultum voluerunt. Etenim videbant non posse se tutò Augustini doctrinæ tot tantisque elogiis ab ipsis summis Pontificibus celebratæ, apertè bellum indicere. Hinc suis præoccupati opinationibus Augustinum vel invitum, nequicquam refragante Molinâ, in sua castra attrahere sunt conati.

Sed cum non possent ex Augustini principiis hesternas suas opiniones sat solidè adstruere, ipsa Pelagianorum & Semipelagianorum argumenta Augustino objecta & ab eodem invictissimè refutata accersere sunt coacti. De quibus vide præfationem Censuræ. Fol. 9. & seqq.

Conabantur quidem prædicti Patres authoritate si non Augustini, certè aliorum magnorum Virorum sua sensa stabilire. Sed verè cessit ipsis res infeliciter. Etenim in partes suas trahebant faustum Regiensem, Gennadium, Sedulium, Cassianum, & alios

ferè ad viginti uſque, ſed omnes vel in hac ipſâ doctrinâ hæreticos, vel de hæreſi ſuſpectos. De quibus conſule, ſi placet, juſtificationem Cenſuræ. Fol. 13.

§. IV.

Quomodo alii Moliniſtæ tractaverint S. Auguſtinum.

Si Moliniſtis credimus S. Aug videtur evertiſſe Liberum Arbitrium.

INdignius loquuntur paſſim contra Auguſtinum Molinæ diſcipuli, quam ipſe loquatur Molina, quamvis ille loquatur indigniſſimè.

Agmen ducat Ludovicus Donius qui his verbis in Auguſtinum depugnat: *Dum toto*, inquit, *ſpiritus ac verborum ardore pro defenſione divinæ gratiæ pugnat adverſus Pelagianos liberum arbitrium cum injuria divinæ gratiæ extollentes, in alteram quaſi foveam delabi videtur, minuſque interdum tribuere, quam par ſit, liberæ hominis voluntati.* Hiſt. de Cardinalibus pag. 206. de his vide Vindicias Noris.

Et ſententiam prædeceſſorum ſuorum contempſiſſe.

Claudius Xaintes hæc de Auguſtino non abſimili temeritate pronuntiat: *Pro reſolutione*, inquit, *fidei meæ, quam Eccleſiæ Catholicæ Judicio ſubmitto, cenſeo D. Auguſtinum nimio contra Pelagianos ardore incenſum nimis præcipitanter ſententiam & conſenſum ſuorum prædeceſſorum contempſiſſe.*

Et explodendas expoſitiones dediſſe.

Joannes Arboreus in illa verba Epiſt. ad Rom. Cap. 3. *Ubi eſt gloriatio tua? Excluſa eſt; per quam legem? Factorum? Non ſed per legem fidei.* Auguſtini interpretationem ridiculam vocat & explodendam. *Expoſitio*, ait, *eſt ridicula & explodenda.*

S. Auguſt. vix eſt Catholicus.

Sed omnes modeſtiæ limites, inquit Contenſonius, Tom. 5. pag. 649. *Tranſilivit Mariana, dum Lib. 3. de Mort. Cap. 8. hæc non tam verba quam monſtra edere non erubuit: Quæ à Caſſiano dicta ſunt omnia de Gratia & Libero Arbitrio, à viris eruditis noſtrâ ætate defendi quaſi pietati conſona, neque deflexa à fidei Regula Sancta. Benè conſultum eſſet triadi Patrum, Auguſtino, Fulgentio, & Proſpero, ſi perinde Catholici haberentur, ac Caſſianus, Fauſtus, aliique Maſſilienſes.* O petulantiam ſingularem! O effrænem linguam! Jactitare SS. Fulgentium, Proſperum, imò ipſum Auguſtinum, viros quorum doctrinâ fulget Eccleſia ut Sole Luna, non perinde Catholicos haberi ac Maſſilienſes [redacted], id certò ipſam vincit impudentiam. Sed pergamus ad alios.

Hinc petunt ut Aug probet suam sententiam

- Vasques porrò, modò graviter asserit sibi non probari doctrinam Beati Augustini sed se existimare aliter philosophandum; modo ab Augustino cæterisque Patribus vult confidenter petere: unde sciant non dari omnibus auxilium sufficiens: *Temerè affirmabimus*, inquit, *illud aliquibus negari. unde ab Augustino & aliis Patribus, qui id docuerunt, petere possumus, undenam hujus voluntatis Dei certiores fuerint effecti.* 1. P. disp. 97. c. 3.

Quam dicunt esse truculentam & horridam.

Sunt qui apertè clament sententiam Augustini esse severam, rigidam, truculentam, horridam.

Occasionem præbere desperandi.

- Invenias alios qui palam dictitent eam præbere occasionem despondendi animo, imò desperandi.

Unde sine injuria licere ei repugnare.

Occurrent qui sine cujuspiam injuria liberum esse dicant Augustino repugnare, utpote qui necdum transierit in numerum Scriptorum Canonicorum. Quos inter Annatus, qui triginta quinque contrà S. Augustinum producit testimonia, Pontificum scilicet, Cardinalium, Episcoporum, Doctorum scientissimorum, ut ipse vocat, quos omnes Augustino repugnasse omnibus nervis nititur nobis ostendere. Vide Noris pag. 246. & seqq. Vide eundem Noris fol. 246.

Nec ipsi parcunt Apostolo.

Parum nonnullis est, quod, ut præconceptas suas opiniones tueantur, in S. Augustinum summa (dicam mitissimè) temeritate debacchentur, nisi ipsum etiam procaciâ ferè incredibili inpetant Apostolum. Sic enim loquuntur. *Non est cur S. Pauli ac S. Augustini verbis teneamur, qui aliquando omnia meræ Dei voluntati attribuere videntur etiam absque ullo bonorum nostrorum operum intuitu. Hos enim duos magnos viros, quasi duo maria magna considerare necesse est, qui ingenii sui impetu in unum littus ita exundant, ut, alterum pro aliquo tempore siccum relinquere velle videantur.* Apud Noris fol. 457.

Plures lector, si desideret, adeat si lubet, Henricum De Noris in vindiciis Augustinianis. Illic inveniet centum & trigintaquinque Recentiorum contra D. Aug. dicteria, & convicia, ab eodem S. Doctore aliisque SS. PP. à multis jam retro sæculis invictè repulsa. Cap. ult.

De his queritur Academia Lovaniensis.

Hæc tamen jam allegata sufficere existimo, ut cuilibet persuaderi possit, quanto jure in præfatione Censuræ suæ dixerint majores nostri: "intolerabile nobis visum, quod non solùm „adversus Pelagium & ejus hæredes, infeliciter laborasse Augu„stinus fingitur, sed idem quoque de Lutheranismo suspectus „redditur tamquam imperitus, stupidus ac cæcus habetur, ut

non

non modo gratiæ ipsius, de quâ disserebat, vim naturamque nescierit, sed nec arbitrii humani libertatem, ne monitus quidem dogmate suo evertere se senserit.

Non est mirum quod hoc modo invehantur in Discipulos S. Augustini.

Habes quomodo propter gratiam per se efficacem & prædestinationem gratuitam S. Augustinum exceperit Molina, ejusque asseclæ. Nunc accipe qua tandem ratione, eandem ob causam tractaverint S. Augustini discipulos. Ego interim existimo nemini hoc jam mirum visum iri, cum discipulus non sit suprà magistrum. Unde si Magistrum vocaverint tantum non apertè hæreticum, quanto magis discipulos ejus. Sed rem ipsam proponamus.

§. V.

Quomodo gratiæ per se efficacis propugnatores exceperit Ripalda.

VOlumen scriberem si omnia in gratiæ per se efficacis defensores, quos Jansenistarum odioso nomine compellant, jactata indignè convitia ex scriptis quæ passim circumferuntur, velim colligere. Hinc cum non sit animus opus aliquod scribere justæ molis, nec lectoris patientiam fatigare, pauca quædam ex multis huc transcribam, ex quibus equidem satis superque patebit, Molinistas, sicut propter sententiam de gratia per se efficaci in S. Augustinum fuerunt contumeliosi, ita eandem ob causam contumeliosos esse in S. Augustini discipulos.

Ripalda vocat eos Bajanos.

Bajanorum sententia est, inquit Ripalda Lib. 2. Disp. 23. num. 3. *Nullum esse post lapsum Adæ adjutorium gratiæ sufficiens, quod efficax non sit, purèque sufficiens esse omnino impossibile, & lapsorum reparationi prorsus inutile.*

Observa Lector quod quos Ripalda Bajanos vocat, hæreticos credat. Sic enim de iisdem Sectione 21. num. 11. loquitur:

Damnatos in Calvino.

Verum omnino Bajani, inquit, *aliorum patrociniis & suffragiis destituti non sunt quia eis per omnia suffragantur hæretici nostri temporis. Primo enim utrique concordes sunt negando gratiam sufficientem omnibus promiscuè dari non operantibus & operantibus, reprobis & electis.*

Secundo, inquit, *asserendo præcepta Dei esse posse observatu impossibilia, negata à Deo gratia, qua præcepta implere sufficiamus. Sic Calvinus, &c.*

Et in fine num. 12. *En quomodo per omnia*, inquit, *concordia sint pronuntiata Calviniana atque Bajana.*

Tum

In Luthero. Tum num. 13. Sic infit: *Non sunt magis discordia Lutherana quippè Lutherus, &c.*

Et in aliis Hæreticis. Denique, pergit num. 14. *Cum Calvino & Luthero Bajanis subscribunt alii hæretici eorum discipuli: Melanchton, &c.*

Idque quia non vult tueri doctrinam quam ille putat esse Prosperi. Sed cur quæso Ripalda, omnes eos quos Bajanos vocat, in Castra hæreticorum trahit vel invitos, nisi quia defendunt gratiam per se efficacem, cum ipse propugnet gratiam Molinisticè sufficientem, quam lepidè nobis caput lepidum (boni consulite diverticulum non infacetum) voluit probare ex S. Prospero, Lib. 2. disp. 23 sect. 8. dum pro Prospero sententiam nobis obtrudit semipelagianorum.

Ex quibus indubitatum est, inquit, *constantem fuisse Prosperi mentem in asserenda gratia auxiliante Dei purè sufficienti, quippe omnibus etiam non cooperantibus communi. Quod rursus pulchrè cecinit lib. de ingratis cap. 10. differens de gratia, quam Ecclesia Catholica profitetur:*

Ut cunctos vocet illa quidem invitetque nec ullum
Præteriens, studeat communem adferre salutem
Omnibus, & totum peccato absolvere mundum.
Sed proprio quemque arbitrio parêre vocanti,
Judicioque suo motû se extendere mente
Ad lucem oblatam, quæ se non subtrahat ulli.

Audis. infit Ripalda, *gratiam Dei cunctos vocare nullum præterire, nulli subtrahi, & in omnium arbitrio ejus obedientiam constitui, ideoque inobedientiam ad culpam deputari?*

Cum esset Semipelagianorum. Imo audimus Ripalda. Sed manifestè patet ex antecedentibus & consequentibus, S. Prosperum illic non describere gratiam quam Ecclesia Catholica profitetur, sed quam tuebantur semi-Pelagiani. Unde fatere tu gratiam quam vis asserere esse eam quam semi-Pelagiani tuebantur; contrariam verò gratiam, id est per se efficacem, quam tu impugnas, esse eam, quam, teste Prospero, Ecclesia Catholica profitetur.

Unde etiam quod sub finem istius sectionis octavæ addis: *Itaque cum indubitabile sit, Augustini Discipulos nostræ adhæsisse sententiæ, in dubium verti non debet. Augustinum ab ea non dissensisse.* Sic, negatione suo loco, posita, contra te cæterosque Molinistas est intorquendum: *Itaque cum indubitabile sit, Augustini Discipulos vestræ* NON *adhæsisse sententiæ, in dubium verti non debet, Augustinum ab ea dissensisse.*

B Malè

Malè proinde impetis eos, qui versatilem illam gratiam Prosperi verbis descriptam fatentur se non posse defendere, utpote quæ non sit gratia, quam Ecclesia Catholica profitetur, sed quam tuebantur semi-Pelagiani.

§. VI.

Ex libro qui inscribitur: Specimen Doctrinæ Theologicæ ex Academia Lovaniensi per Belgium manantis in materia quinque propositionum Cornelii Jansenii, *ostenditur Molinistas id unum moliri, ut versatilem suam gratiam invehant, & per se efficacem proscribant.*

ANno 1677. Quo tres S.T. Doctores Franciscus Van Viane, Christianus Lupus, Martinus Steyaerts à Facultate Theologica Lovaniensi, Romam sunt Deputati, Molinistæ, ut imminentem dogmatibus suis condemnationem averterent & adversariorum suorum, Sanctæ Sedi redderent exosa, multas undequaque propositiones vel ex Libellis vel ex Thesibus Doctorum Lovaniensium, aliorumque S. T. Professorum collegerunt, ut eos ob doctrinam corrasis propositionibus contentam velut de Jansenismo suspectos traducerent, hoc est, non servatæ erga Bullas Summorum Pontificum Innocentii X. & Alexandri VII. debitæ reverentiæ reos peragerent.

Porrò tales propositiones hunc in finem Romam detulerunt ut hac luce meridiana clarius sit eos nihil aliud quam voluisse nigram notam inustam gratiæ per se efficaci, & suam Molinæ approbatam.

Sed ne gratis hoc asseruisse videar, propositiones aliquot ex illo specimine speciminis, loco exhibebo, ut æquus Lector dijudicet quid per vanissimas suas accusationes, spectarint, quid etiamnum spectent Molinistæ.

Vide, quas Molinistæ propositiones accusent.

1. *Orare non possumus, nisi Deus operetur & velle.* Pag. 3.

2. *Necesse esse insinuat* (Ex D. Gerardus Van Werm) *ut quo auxiliante vincimus eo iterum non adjuvante vincamur.* GRATIA ENIM EFFICAX AD SINGULOS ACTUS DARI DEBET *quam scimus tamen non omnibus dari alias enim non diceret Propheta*, FACTUS SUM CONTURBATUS. Pag 9. Ubi, quæ verba nos distincti charactere expressimus, & illi eodem modo expresserunt,

ne

ne ullum nobis dubium relinquerent quid potissimum agerent contra gratiam per se efficacem prædictis verbis expressam: *Gratia efficax ad singulos actus dari debet.* Quam rem S. Augustinus Epist. 107. expressit his verbis: *Scimus gratiam Dei majoribus ad singulos actus dari.*

3. *Licet autem omnem gratiam huic statui appropriatam efficacem statuamus, liberum tamen arbitrium propterea non destruimus* pag. 10.

4. *Nullum omnino à Deo datur auxilium, quin semper sit aliquo usque efficax, & efficiat semper in homine quod ei vult Deus.* Pag. 20.

5. *Non ergo jam datur illud adjutorium quod datum est primo homini, quod desereret cum vellet, & in quo permaneret, si vellet.* Pag. 21.

6. *Si queris an ergo in statu naturæ lapsæ præter gratiam efficacem... non agnoscamus gratiam in suo genere sufficientem .... talem cum schola D. Thomæ non respuimus: dummodo vel dicas esse ipsam gratiam habitualem, vel actualem, videlicet ipsam gratiam excitantem quæ simul efficax sit respectu propinquioris sui actus, ad quem ex intentione Dei datur.* Pag. 23.

7. *Libertati nostræ non obstat quoque gratiæ divinæ efficacia. Nec refert quod hæc naturæ lapsæ non solum det posse, sicut olim naturæ integræ, sed etiam ipsum velle.* Pag. 23.

8. PER QUEM ACCEPIMUS GRATIAM. *Non tale adjutorium quod homo desereret cum vellet, & in quo permaneret si vellet,* Pag. 40.

Propter has & similes propositiones quas possem multas ex eo libro describere, sic dicunt pag. 29. *Hæc nos considerantes cogimur credere Laurentium Neesen, cæterosque paria sentientes flocci facere Alexandri VII. Constitutionem* AD SACRAM *condemnantis quinque Propositiones* IN SENSU A CORNELIO JANSENIO INTENTO.

Judicet jam æquus lector, quid possit esse manifestius quam Molinistas voluisse per Constitutionem Alexandri VII. Proscriptam esse gratiam per se efficacem, eosque qui hanc tuentur, ideo floccifacere eam Constitutionem? Quin imò existimo ego usque adeo evidens esse eos deferendo propositones has octo aliasque similes voluisse doctrinæ de gratia per se efficaci labem affricare, ut non putem esse, qui ea de re possit dubitare; si modò sereno eas aliasque animo dignetur perlegere. Illarum aliquæ, v. g. illa, quæ ordine tertia & septima, simpliciter adstruunt gratiam

tiam per ſe efficacem pro hoc ſtatu naturæ lapſæ.

Quædam (quas inter eſt octava) ipſis ſunt Auguſtini verbis expreſſæ. Sic enim Aug. lib. Correptione & gratia Cap. XI. loquitur de adjutorio quod datum eſt primo homini ante lapſum: *Tale quippe erat adjutorium quod deſereret cum vellet, & in quo permaneret ſi vellet, non quo fieret ut vellet. Hæc prima eſt gratia quæ data eſt primo Adam: ſed hæc potentior eſt in ſecundo Adam, &c.* Culpantur ergo qui docent cum S. Auguſtino non dari jam adjutorium ſine quo non, ſive tale quod homo deſerit cum vult, & in quo permanet ſi vult, ſed requirunt cum eodem Auguſtino potentius *adjutorium* QUO, ſive quo fiat *ut velit, & tantum velit tantoque ardore diligat, & carnis voluntatem contraria concupiſcentem voluntate ſpiritus vincat.*

Vide, quos deferant hæreſeos. Itaque oſtenſum eſt, opinor quod propter doctrinam de gratia per ſe efficaci, Moliniſtæ de Janſeniſmo, id eſt, ſi eis credimus de infanda hæreſi, inſimulaverint ejuſdem gratiæ propugnatores Gerardum Van Werm, Chriſtianum Lupum, Lambertum Vincent, Libertum Fromundum, Andream Laurent, Jacobum Pontanum, alioſque quam plurimos, de quibus in præfato Specimine, omnes S. T. Doctores vel Profeſſores graviſſimos, & integerrimos, quibus parum proderat quod ſexcenties affirmarent, ſe ſic defendere gratiam per ſe efficacem ut tamen admitterent reſiſti interiori gratiæ non modò inefficaci ſed etiam efficaci, quia ſimiles locutiones placebat Moliniſtis, cum aliud quod reſponderet, eos deficeret, vocare enigmata: etenim fol. 27. iſtius Speciminis citatâ hâc propoſitione velut propugnatâ ab Ex. D. Gerardo Van Werm.

Ex quibus per manifeſtam conſequentiam inferas, etiam in ſtatu naturæ lapſæ interiori gratiæ reſiſti, & quidem non tantum interiori inefficaci, SED ETIAM EFFICACI; illi frigidè ſubnectunt: *Hoc verò eſt mirè ænigmaticum reſiſti*, INTERIORI GRATIÆ NON SOLUM INEFFICACI SED ETIAM EFFICACI.

Nulla, ut lector vides, erat via pacis, niſi ii quos Jaſeniſmi inſimulabant abjecta doctrina de gratia Auguſtiniana, amplecterentur eam, quam Molina ipſi Auguſtino dictitavit fuiſſe ignotam.

§. VII.

§. VII.

Ostenditur ex quibusdam excerptis ex memoriali quodam Catholicæ suæ majestati exhibito, primariam rationem ob quam Molinistæ multos malè depingunt, esse sententiam de gratia per se efficaci.

Apud Catholicam suam Majestatem accusant strictam Facultatem Lovaniensem. S. T. Doctores. Episcopos.

AUdiamus primò quos in præfato memoriali apud Catholicam suam majestatem factionis insimulent.

Caput, inquiunt, *hujus factionis* (Jansenisticæ) *est Stricta Facultas Lovaniensis.*

Inter eos qui eminent zelo sui Jansenismi, est Franciscus van Viane, & Gummarus Huygens.

De Episcopis sic aiunt: *Quod hodiedum vix inveniatur unus qui adversus Baianam & Jansenianam factionem bellum indixerit.*

Archiepiscopus Mechliniensis, in cujus Diœcesi situm est Lovanium, multum defert Jansenistarum consiliis.

Consiliarios.

Jam audi quid de Consiliariis, *multi,* inquiunt, *Consiliarii tam Provinciales quam collaterales in Belgio, eo quod in illa Universitate* (Lovaniensi) *studuerint, prodierunt ex illa affecti iisdem perniciosis dogmatibus.*

Præmonstratenses.

Mane lector, mox audies de ordinibus religiosis: *multæ sunt* aiunt, in Belgio *religiones, quæ à Jansenismo se intactas conservant. Utinam idem de Præmonstratensibus S. Norberti affirmare liceret. Nota est omnibus infectio majoris partis Monasteriorum hujus instituti, quodque illa ab ipsa hujus novæ doctrinæ origine eidem maximè adhæserint.*

Augustinianos. Dominicanos.

Tum interjectis nonnullis, de Ordinibus SS. Augustini & Dominici subjungunt: *Bonum ingens Religionibus SS. Augustini & Dominici in dicta patria apprecatur, qui eas omni spe promotionis ad Strictam Facultatem destitutas exoptat. Rationes supra deduximus, nempe has,* quia in istis duabus sacris familiis *Vix datur grandioris notæ Theologus, qui ad Strictam Facultatem vota non dirigat.*

Capucinos.

Sequitur de Capucinis: *Capucinorum Belgicorum Religio,* inquiunt, *manifestè in duas factiones dividitur, unam Jansenistarum, quam juniores, aliam Anti-Jansenistarum quam seniores constituunt.*

Carmelitas discalceatos.

Neque ab hoc contagio, Ordo Carmelitarum Discalceatorum in Belgio purus existit.

Clerum secularem & Clericos Oratorii.

Denique contagiosa hæc pestis, inquiunt, *maximè in Clero Seculari grassatur, nec ullibi, magis quam inter Clericos Oratorii.*

Hic jam quæro, propter quam rationem, apud Catholicam suam Majestatem insimulaverint factionis & hæreseos strictam Facultatem Lovaniensem, Episcopos Belgii, tot tam præstantes Religiosorum ordines, Consiliarios, aliosque nisi propter doctrinam de gratia per se efficaci?

Non aliam ob causam, quàm quòd propugnent Gratiam per se efficacem.

Quid enim causæ quod factionis insimulent & quidem factionis caput esse dictitent strictam Facultatem Lovaniensem, nisi quod expositam & stabilitam in Censurâ sua de gratia per se efficaci doctrinam, quam à majoribus suis Doctores isti acceperunt, pergant tueri: vel dicant nobis apertè quam tandem aliam ob rationem, quæ scilicet non præsupponat doctrinam de gratia per se efficaci, strictam Facultatem insimulaverint factionis.

Quare Episcopos Belgii accusant quod vix inveniatur unus qui adversus Bajanam & Jansenianam factionem, bellum indixerit, nisi quod doctrinam eâdem censurâ Lovaniensi expressam approbarent, adeoque non vellent propter eam doctrinam ullum persequi & opprimere, ut Molinistæ optassent.

Cur Consiliarios impetunt, nisi quia, ut illi ipsi fatentur, in illa Universitate Lovaniensi studuerunt, atque ita prodierunt ex illa affecti iisdem dogmatibus, nimirum de gratia per se efficaci, quæ illic traditur, quæ dogmata Molinistis placet vocare perniciosa.

Qua de causa Canonicos Præmonstratenses reos agunt Jansenismi, nisi quod propugnent doctrinam de gratia per se efficaci quam Anno 1621. in Capitulo provinciali Sacer hic ordo speciali Decreto à R. D. Generali Præmonstratensi approbato omnibus suis Sacræ Theologiæ Professoribus propugnandam injunxit: vel dicant aliam rationem, quæ ut dixi non præsupponat eam de gratia per se efficaci.

Quid est quod notent factionis Augustinianos, nisi rursus quod constet omnes Augustinianos Belgii & docuisse hactenus & unanimiter etiamnum docere cum suo Patre Augustino dari in hoc statu naturæ lapsæ *auxilium quo*, sive gratiam per se efficacem? Vel edicant apertè quænam possit esse alia primaria accusationis causa.

Quam quæso ob rem proscindunt Dominicanos Belgas, nisi

nisi, si verum fateri volunt, quod, ut cuilibet constat, illi Dominicani tueantur doctrinam Angelici Doctoris, de gratia prædeterminante? Si sit alia primaria ratio, hæc proferatur.

Quid sibi vult quod Humillimos & ab omni factione remotissimos Capucinos factionis incusent, nisi quod contra Molinam ejusque sequaces scientiam mediam, gratiamque versatilem oppugnent, & per se efficacem defendant? Si hoc non sit quod Molinistas potissimum moverit ad accusandum Capucinos, edicant nobis quid aliud sit præcipuum accusationis fundamentum.

Quid causæ divinabimus quod Carmelitas discalceatos ejusdem contagiosæ factionis deferant, nisi quod, ut Anno 1685. die 18. May in comitiis Provincialibus Lovanii iterum declararunt, defendant gratiam *quæ omnem efficaciam habeat ab omnipotentia Dei, & à Dominio, quod Divina Majestas habet in voluntates hominum, sicuti in cætera omnia, qua Deus velle & operari operatur in nobis, facit ut faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati*, &c. Vel dicant nobis illi delatores quæ tandem sit, si hæc doctrina non sit princeps ratio.

Quæ est illa contagiosa pestis quam in Clero seculari, nec ullibi magis quam inter Clericos Oratorii grassari dictitant, nisi doctrina de gratia per se efficaci, quam illi ideò putant esse contagiosam pestem, quia adversatur Molinæ Lessiique doctrinæ de gratia versatili, quam existimant Molinistæ ab Sixto V. esse numeratam inter articulos *sanæ Doctrinæ*.

Denique quid esse putabimus quòd omnes simul & semel ejusdem factionis reos peragant, nisi illud, in quo omnes conveniunt, quod non est aliud, nisi doctrina de necessitate gratiæ per se efficacis pro statu naturæ lapsæ; quam Molinistæ rationem sufficere putant ut quoscumque viros, quamvis integerrimos, sive doctrinam spectes, sive probitatem, convitiis onerent, quia ipsi existimant se per ineptissimas suas consequentias, sexcenties refutatas, inde inferre, quæ ferè etiam Semipelagiani inferre volebant ex sententia S. Augustini, *Præcepta Dei aliquibus esse impossibilia, Christum non esse mortuum pro omnibus, hominem non esse liberum à necessitate*, &c.

Et jam iterum iterumque postulamus, ut si hæc non sit primaria ratio, dicant nobis quæ tandem illa sit ob quam viros

omnis

omnis generis, omnis ſtatus & Religionis liberrimè ſimul & ſemel audent proſcindere.

Sed petes, cur ergo eorundem ordinum Religioſos, qui erant in Hiſpania, eadem accuſatione non involuerint R.. debebant quidem ſi paritatem ſpectes rationis, æquè inſimulare factionis Hiſpanos, Italos, &c. ac Belgas inſimularunt, cum eandem prorſus per omnia Dominicani v. g. Hiſpani & Belgii circa gratiam & libertatem, tueantur doctrinam: ſed politica eos aliter docuit. Facilè erat viros integerrimæ Fidei in diſſitis procul regionibus, ubi locus ipſis ſe defendendi non dabatur, & ubi fortè ſe accuſari ignorabant, reos agere, neſcio cujus prætenſæ factionis. At verò non erat tutum, Dominicanis Hiſpanis in Hiſpania Hæreſes affingere, utpote qui impactas ſibi calumnias concitato in calumniatores bonorum omnium odio, facili negotio diſpuliſſent.

Sed, ut pateat adhuc manifeſtius eos tantum turbas excitare propter doctrinam de gratia per ſe efficaci non erit abs re pauca quædam ex multis quæ paſſim obvia ſunt in Moliniſtarum Libellis convitia & dicteria colligere, quibus vel ipſam de gratia per ſe efficaci doctrinam apertè carpant, vel in ejuſdem gratiæ defenſores ob eandem doctrinam convitiis debacchentur.

§. VIII.

Ulterius oſtenditur quomodo Moliniſtæ carpant gratiam per ſe efficacem, vel ob hanc, ejus defenſores.

Fateor, *inquit Leſſius Lib. de grat. cap.* 16 nulla ratione me poſſe aſſequi, quomodo per eam (doctrinam de gratia per ſe efficaci) non inducatur fatum pluſquam adamantinum.

Ripalda Tomo 2. Diſp. 18. *Bannes*, inquit, *& plerique ejus diſcipuli in publicis diſputationibus privatiſque ſermonibus, cœperunt notare ſententiam illam* (Molinæ) *Pelagianam, contra noſtri ut notam Pelagianiſmi ſuæ ſententiæ vitarent objiciebant oppoſitæ*, id eſt, ſententiæ per ſe efficaci quam tuebatur Bannes ejuſque diſcipuli, *notam Calviniſmi.*

Bellum recriminatio.

Pater de Vos Theſi defenſa An. 1679. 28. & 29. Julii ſatis apertè carpit gratiam per ſe efficacem, nec minus invercundè

Gratiam per se efficacem in Jansenio damnatam esse contendit Pater de Vos.

dè tractat ejusdem gratiæ defensores: *quisquis gratiam per se efficacem*, inquit, *ita necessariam existimas, ut sine ea opus bonum fieri aut tentatio superari non possit, agnosce te cum eodem* (Jansenio) *impiè blasphemè & hæreticè sentire.*

Pater du Bosc in Libro cui titulus: *La decouverte d'une novelle heresie*, per constitutiones Innoc. X. & Alexandri VII. gratiam per se efficacem damnatam esse, sine ullis verborum involucris audacter affirmat: "*Il faut considerer*, inquit, que depuis qu'ils " ont declaré, que par le sens de Jansenius ils entendent la doctri- " ne de la grace efficace par elle même, telle que les Thomistes " l'enseignent. Ce n'est plus une hæresie indirecte, mais directe, " ce n'est plus nier le droit en face à la decision de l'Eglise, c'est- " à dire qu'on tienne pour catholique la même doctrine que " l'Eglise à declaré Heretique."

Et Pater du Bosc.

Considerandum est, inquit, quod postquam declararunt se per sensum Jansenii intelligere doctrinam de gratia per se efficaci, talem utique qualem docent Thomistæ, jam non sit amplius Hæresis indirecta, sed directa: non jam sit jus ipsum negare per ambages, negando scilicet factum, sed potius est negare jus ipsum directè & retecta fronte, est resistere in faciem doctrinæ Ecclesiæ, est tenere velut Catholicam eandem illam doctrinam, quam Ecclesia declaravit Hæreticam.

Itaque si illi credimus, tueri gratiam per se efficacem, est tueri doctrinam quam Ecclesia declaravit Hæreticam.

Et delatores propositionum &c.

In libello non ita pridem edito, sub hoc titulo *Propositiones per Belgium disseminatæ, jussu congregationis sancti officii collectæ, atque ad supremum Innoc. XII Pontificis maximi tribunal delatæ*, culpantur variæ propositiones velut à quibus animarum salus periclitetur, ut delatores indicant in præfatione, Ex. G. hæc pag. 75. *Orare non possumus, nisi Deus operetur & velle.*

Item pag. 79. hæc: *Omnis omninò gratia aliquo respectu est efficax scilicet respectu effectus ad quem proximè datur, nec aliqua est merè sufficiens* scilicet sensu Molinistico.

Plures aliæ sunt quæ ambiguis licet involutæ verbis eo collimant ut doctrinæ de necessitate gratiæ per se efficacis nigra inuratur nota.

His accedit ineptus ille ineptorum libellorum omnium approbator (nostis hominem) qui Epistolâ suâ tertiâ, gratiam per

& malarum causarum ridiculus Patronus.

se efficacem in Jansenio condemnatam esse, non obscurè asserit. Citatis enim his verbis: " Quamvis fieri nequeat, ut actualis dissensus, cum actuali Dei motione jungatur," *ecce iterum*, inquit, Propositio tertia quoad sensum, & confirmatio quartæ.

Multa talia possem facile afferre, nisi in eorum libellis qui passim circumferuntur, essent obvia, & hæc pauca, quæ ex multis collegi, satis superque evincerent, Molinistas propter sententiam de gratia per se efficaci, in adversarios suos tantâ impotentiâ debacchari.

Quid enim? An est aliquis eorum quos illi odioso Jansenistarum nomine compellant, qui non damnet quinque famosas Propositiones eodem prorsus sensu, quo easdem damnat Schola Thomistica, imo omni eo sensu, quo eas damnavit & damnat Ecclesia?

An non omnes illi quos impetunt, eadem planè circa gratiam & libertatem pro statu naturæ lapsæ tuentur dogmata, quæ Thomas Lemos, Alvares, Bannes, cæterique Thomistarum principes, totaque adeo Schola Thomistica, circa has materias tuetur; idque eodem per omnia sensu, iisdem planè verbis?

Quid amplius desiderare possunt Molinistæ? Hæc certè ipsis Summis Pontificibus satis fuerunt, qui non semel declararunt per suas constitutiones se nullatenus gratiam per se efficacem, inconcussum dogma SS. Augustini & Thomæ velle infringere, sed omnia se relinquere in eo statu in quo erant sub Clemente VIII. & Paulo V. Hæc profectò Molinistas deberent saltem cohibere à tam impotentibus, ut ne dicam impudentibus, in viros quoscumque effutiendis conviciis, nisi versatilem suam gratiam, juxta quam quod minus est Deo tribuitur, quod majus, homini, conarentur invehere, vel invectam promovere.

Ex quibus patet quantâ injuriâ debacchentur in optimos quosque.

Ideo enim Lessius fatetur nulla se ratione posse assequi, quomodo per gratiam per se efficacem non inducatur fatum plus quam adamantinum.

Ideo Ripalda sententiæ Bannis (utique de gratia per se efficaci) injustam ait à Molinistis notam Calvinismi.

Ideo Pater De Vos asserit eos qui gratiam per se efficacem ita existimant necessariam, ut sine ea opus bonum fieri aut tentatio superari non possit, debere agnoscere, quod cum eodem (Jansenio) impiè, blasphemè & Hæreticè sentiant.

Ideo

Ideo P. Du Bosc per Constitutiones Innocentii X. & Alexandri VII. apertè dictitat, quod Ecclesia doctrinam de gratia per se efficaci declaraverit Hæreticam.

Ideò denique in Libello cui Titulus: *Propositiones per Belgium disseminatæ*, &c. defertur ad tribunal Innoc. XII. Hæc propositio v. g. *orare non possumus*, nisi *Deus operetur & velle*, ut eâ condemnatâ, quod Deus avertat, possint probare gratiam per se efficacem non esse necessariam ad orandum, sive orare nos posse, licet Deus non operetur & velle, id est, licet Deus per suam gratiam efficacem non faciat nos orare.

Dum ita debacchantur ob doctrinam de gratiâ per se efficaci. Vt ipsis à multis jam annis est objectum.

Et jam diu est, quod sciverunt quidem sibi objici primariam ne dicam unicam, omnium accusationum causam esse doctrinam de gratia per se efficaci, sed nihil hactenus responsi vidimus, ne ad id quidem, quod ipsis hac de re jam à decem ferè annis dixit Ex. D. Huygens Thes. Historico-Theologicâ de gratiâ &c. defensa An. 1683. 13. Augusti. "*Primum istius accusationis fundamentum*, inquit, Concl. 3. dico esse quod Lovanienses teneant doctrinam *de necessitate gratiæ per se efficacis ad quemlibet salutarem actum*: ideoque jam non dari *merè sufficientem in sensu Molinistico*. Gratiam sufficientem voco illam, præter quam ex parte Dei nulla alia gratia requiritur, ut homo de facto convertatur pieque operetur. Hoc & non aliud dico esse primum accusationis fundamentum: nullam enim præter hanc habent rationem sive de Lovaniensibus generatim, sive de illorum aliquo dicendi quod teneat in hac materia aliquem sensum condemnatum, neque hactenus aliam assignasse scimus, quæ nimirum sit primum accusationis fundamentum: nam si aliam assignare velint, facilè ostenderimus eam vel assignari falsò, vel assignari idcirco, quod præsupponatur doctrina de necessitate gratiæ per se efficacis, ut pro indubitato habendum sit, primum istius accusationis fundamentum esse doctrinam de necessitate gratiæ per se efficacis. Hanc verò rationem sufficere putant adversarii quia per consequentias suas (quas sexcenties ostensum est esse invalidas) inde inferunt: *præcepta Dei aliquibus esse impossibilia*, *gratiæ Dei non resisti*, *Christum non pro omnibus mortuum esse*, *tolli libertatem à necessitate*, &c. Ex quibus adeo manifestum est, quod primum accusationis fundamentum sit doctrina de gratia per se efficaci, ut non nisi cum pertinaci tergiversatione negari possit."

 Cum

Sed nihil responsi visum. Cum hactenus nihil solidi ad hoc responsum fuerit, videbimus an saltem jam aliquid sint producturi, alioquin quilibet sani Judicii facilè videbit, quod ob quam rationem S Augustinus fuit tam impudenter à Molinistis exceptus, ob eandem S. Aug. discipuli adeo indignè ab eisdem Molinæ discipulis excipiantur.

§. IX.

Ex Thesibus quibusdam PP. Societatis Lovanii defensis, convincuntur illi Patres impetere gratiam per se efficacem.

Patres Societatis Lovanii contendunt gratiam necessitantem & gratiam per se efficacem esse synonima. DOctrinam de gratia per se efficaci, quam nonnulli occultiùs carpunt, dum ejusdem gratiæ propugnatores ob eamdem, Calvinismi, Lutheranismi, vel Jansenismi insimulant palam & aperto marte impugnant PP. Societatis Lovanii, dum in Thesibus die 27. Julii An. 1688. in Schola sua publicè defensis: *Necessitatem gratiæ*, inquiunt, *quam ubique inculcat Aug. nusquam gratiam necessitantem nec proin (quæ nobis synonima apparent) ab intrinseco efficacem.* Ergo censent illi, gratiam ab intrinseco efficacem cum gratiâ necessitante omnino convenire, adeoque evertere libertatem Arbitrii, sicut eam evertit gratia necessitans.

Et huic gratiæ per se efficaci adversatum fuisse S. Augustinum, Unde iidem illi Patres eandem de gratia ab intrinseco efficaci doctrinam S. Augustino adversari omnibus nervis conantur ostendere. Hinc §. 4. c. 2. Vindiciarum suarum die 15. Decembris ejusdem Anni 1688. propugnatarum, hunc præfigunt titulum: *Ostenditur Augustinum positivè adversari gratiæ per se efficaci.*

In Thesibus in eâdem scholâ Patrum Soc. defensis die 26. & 27. Julii An. 16[?]9. Nihil non movent, ut ostendant, Patres Concilii Tridentini eidem Doctrinæ fuisse adversatos.

Et Concilium Trid. Quin imo articulo 2. hunc ponunt titulum: *Patres Tridentini non modò non faverunt gratiæ per se efficaci, sed adversati sunt.*

Hîc jam habemus opinor, claram satis tumultuum omnium causam doctrinam de gratia per se efficaci Quocirca cum quosdam Calvinismi, vel Jansenismi reos agunt, eas calumnias impingunt propter doctrinam de gratia per se efficaci, quam illi existimant esse eandem cum gratia necessitante, adversari S. Augustino, adversari Tridentino.

§. X.

§. X.

Exhibetur doctrina Eximii Domini de Swaen de gratia per se efficaci: item doctrina ejusdem de quinque famosis Propositionibus, quam ab Innoc. X. & Alexandro VII. in Jansenio condemnatam esse dictitat Didacus de Oropega.

Ex. D. de Swaen ratione cogitur reddere sua fidei.

DOctrinam hanc suam Clarissimè explicavit Eximius D. de Swaen in Epistola quadam ad Reverendissimum ac Illustrissimum Archipræsulem Sebastenum per Provincias confœderatas Vicarium Apostolicum &c. Imò explicare coactus est, quia tum ex litteris istius Illustrissimi Archiepiscopi, tum aliunde didicerat, per Provincias Confœderatas varios spargi libellos, quibus Sacerdotes ex alma Universitate Lovan. ad missionis opera adventantes, insimulabantur, quasi qui doctrinas traderent in materia de gratia & libero arbitrio, per Constitutiones SS. PP. Innocentii X. & Alexandri VII. condemnatas. Ergo necesse fuit ut se suosque ab impacta sibi aliisque tàm horrenda impostura vindicaret. Vindicavit autem clarissimis terminis edicendo quid circa gratiam per se efficacem, quid circa qninque propositiones ipse sentiret & Alumnis Collegii Alticollensis inculcare soleret. " Siquidem, *inquit*, hinc meridiana luce clarius evadet illos saltem Missionarios, qui talibus imbuti sunt principiis, doctrinisque, ab omni prorsus Censura in memorata jam materia immunes censendos esse.

Et reddit absolutam.

" Sustineo itaque, infit, in hoc statu naturæ lapsæ necessariò admittendam esse gratiam ex Deo ipso efficacem, sive tale auxilium, quod prout venit à Deo independenter ab humanâ voluntate, & mediâ præscientiâ, veras tribuit animæ vires, verèque efficit vi, & energiâ suâ, ut arbitrium infallibiliter ei præbeat assensum; ita ut Deus per talem gratiæ efficaciam potenter, atque suaviter subdat arbitrium, & activè, & propriè sibi faciat consentire. Ita gratiam per se efficacem definit Thomas Lemos lib. 4. part. 2. tract. 4. cap 12. Estque juxta ipsum, & me, reipsa physica illa prædeterminatio, per quam Deus juxta PP. Prædic. & Carm. Discalc. in ipsorum respectivè Comitiis Provincialibus, nullâ præsuppositâ scientiâ

Nam eadem circa gratiam &c. dogmata tuetur qua Thomista.

me-

„ mediâ, aut conditionatâ boni usus nostræ voluntatis, illam ad „ actus liberos bonos determinat, non solùm interiùs suadendo, „ excitando, immutando, aut aliter moraliter attrahendo, sed „ etiam activè, verè, & propriè, & per modum agentis, absque „ violentia tamen ex parte potentiæ, & in ipsâ potentiâ causat „ in ipsam voluntatis actionem, adeo ut gratia sit bonæ voluntatis „ verè, & propriè effectrix, qua fit, ut homo ad suam actionem „ infallibiliter se determinet, non ex necessitate, sed juxta suum „ proprium modum omnimodæ libertatis, sicque omnis efficacia „ proveniat ex solâ gratiâ, & ex ipsâ Dei omnipotentiâ, nec „ illam expectet, aut emendicet à libero arbitrio, neque efficax „ sit dependenter ab illo.

Eadem qua Schola Catholica

" II. Majorem non tribuo gratiæ isti energiam, seu efficaciam " quam qualis à majoribus nostris, Censuræ Lovaniensis authoribus, & approbataribus, vel a PP. Prædicatoribus, aliisque " Catholicis, probatisque gratiæ per se efficacis juxta mentem " S. Thomæ defensoribus propugnatur.

Admittit gratiam Thomisticè sufficientem.

„ III. Præter hanc gratiam ex Deo ipso efficacem, aliam doceo „ insuper dari gratiam inefficacem (alii eam vocant excitantem, vel Thomisticæ sufficientem) quæ talis sit, ut homini „ sufficientes quidem tribuat vires, quibus possit v. g. converti, „ aut bene operari, sic tamen, ut efficaciori ei opus sit auxilio, „ quo actualiter convertatur, aut benè operetur.

Rejicit pro hoc statu omnem necessitatem præter consequentiæ.

„ IV. Nullam sub hac gratiâ efficaci in homine lapso admitto „ necessitatem, exceptâ solâ necessitate consequentiæ, sive infal„ libilitatis.

Admittit potentiam resistendi.

„ V. In libero arbitrio à Deo efficaciter moto non sophisticam aliquam, sed veram, propriè dictam, ac expeditam ad„ mitto non agendi potentiam, eandem scilicet, quam admittit „ schola S. Thomæ.

Et libertatem indifferentiæ.

„ VI. Admitto cum eadem scholâ in statu naturæ lapsæ li„ bertatem huic statui congruentem, talem, inquam, libertatem, „ quæ habeat indifferentiam tam ex parte judicii, quam ex parte „ voluntatis sibi conjunctam.

Et resistentiam interiori gratiæ.

„ VII. Admitto dari interiores aliquas gratias, quas morte „ suâ promeritus nobis est CHRISTUS, quibus reipsa resistitur „ & quæ reipsâ aliquando abjiciuntur: denique quæ vero sensu „ gratiæ CHRISTI dici queant.

VIII.

Et libertatem à coactione. ,, VIII. Ad merendum, & demerendum in hoc statu naturæ ,, lapsæ, requiro libertatem non tantùm à coactione, sed etiam ,, à necessitate.

,, IX. Admitto, quod in Cap. 6. & Can. 4. sess. 6. Trid. ,, non tantum agatur de solâ sufficienti, sivè excitante, sed & de ,, efficaci & movente gratia: v. g. dum dicitur, quod homo ita ,, inspirationem illam recipit, ut illam possit abjicere; item quod ,, liberum arbitrium à Deo motum & excitatum, possit dissen- ,, tire, si velit.

Et liberum arbitrium efficaciter à Deo motum, posse dissentire. ,, Hinc non tantùm admitto, quod liberum arbitrium excita- ,, tum, & inspiratum possit, antequam efficaciori aliquo auxilio ,, adjuvetur, illi inspirationi resistere, aut eam abjicere, sed etiam, ,, quod illud possit ulterius, & efficaciter adjutum. Id est, ad- ,, mitto, quod liberum arbitrium non tantùm excitatum, sed & ,, efficaciter à Deo motum, possit dissentire, si velit, Deo utique ,, vocanti, & excitanti. Et hic genuinus est Concilii Tridentini ,, sensus.

Sed quod numquam actualiter dissentiet. ,, Verum, quod liberum arbitrium à Deo motum, & excita- ,, tum actualiter umquam dissentiat Deo non tantum vocanti, ,, & excitanti, sed & possit cum gratia efficaciter movente com- ,, ponere dissensum, hoc Concilium nusquam docuit.

,, Denique sustineo liberum hominis arbitrium non tantum ,, post justificationem, sed in ipso justificationis opere Deo verè ,, cooperari, & ita liberè Deo vocanti, & excitanti, consentire, ,, ut, si vellet, posset dissentire."

Tum interjectis nonnullis, sic suum sensum circa quartam & quintam ex damnatis quinque Propositionibus, explicat pag. 16

Remotissimus est à quartâ Propositione damnata. " Circa quartam Propositionem ex damnatis, inquit, dico, ,, tantum abesse, ut hæretici sint dicendi, qui asserunt gratiam ,, prævenientem esse talem, cui possit humana voluntas resistere, ,, vel obtemperare, ut potius hæreseos arguendi sint qui id ne- ,, gent, definientibus expressè Patribus Tridentinis: sess. 6. ,, Can. 4. *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium à Deo motum ,, & excitatum, nihil cooperari, assentiendo Deo excitanti & vocanti, ,, quo ad obtinendam justificationis gratiam se disponat, ac præparet, ne- ,, que posse dissentire, si velit; sed veluti inanime quoddam nihil omninò ,, agere, mereque passivè se habere anathema sit.* Hinc apud omnes ,, Catholicos gratiæ per se efficacis defensores certum & mini- ,, mè

„ mè dubium est cuicumque gratiæ, etiam efficaci, resisti posse; „ id est, cum quacumque gratiâ remanêre activam, & sensu „ Thomistarum proximam dissentiendi potestatem, licet actu, „ ut iidem loqui solent, numquam efficaci gratiæ dissentiatur.

Circa quintam, subscribit sententiæ Amplissimi Domini Steyaerts.

Denique circa Propositionem V. ex damnatis, libentur sub- „ scribo huic resolutioni, quam circa eandem aphorismis suis „ inseruit collega noster Ex. D. Steyart part. 1. disp. 38. asse- „ rens quintæ Propositioni inter damnatas per hoc satisfieri; „ quod justi omnes, adeoque & non prædestinati, gratias ha- „ beant, sensu supradicto sufficientes ad salutem suam æternam „ operandum, quas ipse CHRISTUS JESUS Sanguine & morte „ suâ promeruit, ut proindè propriè pro ipsorum salute sit mor- „ tuus, etsi magis propriè pro prædestinatis: addendo prætereà, „ sensu generaliori etiam mortuum esse pro cæteris omnibus, „ quatenus pro peccato originali omnibus communi, adeoque „ pro communi causâ, mortem subiit; meritus etiam generalia „ salutis media, & instrumenta, ut Sacramenta Sanguinis CHRI- „ STI vasa, &c. à quibus neminem sua conditione exclusit, ut „ ipse diabolus exclusus est, pro quo proindè nullâ ratione San- „ guinem fudit.

„ Dum orthodoxam hanc circa gratiam, ac liberum arbitrium „ doctrinam, unà cum aliis sanioris Theologiæ principiis alum- „ nis Collegii nostri propino, frequenter itidem illis inculco, ut „ veritatem facientes in charitate crescant in illo per omnia, „ qui est caput CHRISTUS: illos, inquam admoneo, obsecroque „ in visceribus JESU CHRISTI, ut dum laborandum ipsis fue- „ rit in vinea domini, pacem cum omnibus cooperariis, id est „ cum PP. Societatis, aliisque tum religiosis, tum de Clero Sa- „ cerdotibus, suis in CHRISTO Fratribus dilectissimis, semper „ & ubique (quod in ipsis est) sartam tectam conservent."

Hinc Viri Præclarissimi ejus hâc in parte doctrinã comprobant.

Evidens est, verbis non ambiguis vel æquivocis hîc exprimi germanam de gratia per se efficaci doctrinam, per omnia prorsus conformem illi quam universa Schola Thomistica propugnat. Nec minus Evidens est eam doctrinam remotissimam esse à sensu quinque famosarum Propositionum. Hinc Epistola in quâ sua sensa circa gratiam per se efficacem, circa quinque Propositiones tam candidè expresserat Ex. D. De Swaen, approbata est à D. Cuyper S.T.L. Ecclesiæ Metropol. Can. Grad.

&

& Decan. Lib. Censore, item ab Exi. DD. Gummaro Huygens, Io. Lovino, Jo. Sullivane, I. L. Hennebel, item à F. Agathangelo à S. Clemente Carmelita discalceato, approbata, inquam, est tamquam orthodoxam continens de Gratia & Libero Arbitrio doctrinam juxta communem Thomistarum explicationem.

Sed jam videamus, quâ ratione hanc doctrinam excipiat Didacus De Oropega.

§. XI.

Ostenditur quòd doctrinam superiori paragrapho descriptam, velut Jansenisticam, id est, Decretis Pontificum proscriptam depingat Didacus De Oropega.

IN Libello cui titulus: *Difficultates propositæ Eximio D. M. De Swaen, ejusque Approbatoribus* pag. 13. hoc pacto E. D. De Swaen affatur Didacus: " Gratiam à te requiri in hoc statu „ naturæ lapsæ efficacem, quæ veras tribuit animæ vires, verèque efficit vi & energiâ suâ ut arbitrium infallibiliter præbeat „ assensum." *Frustrà scribis ad Illustrissimum Sebastenum, qui de eo nunquam dubitavit: frustrà quoque nobis aut aliis in Belgio Theologis indicatum voluisti: id enim jam pridem omnibus innotuit:* NEQUE HOC AD ELUENDAM JANSENISMI MACULAM QUIDQUAM CONDUCET? QUID ENIM IN HOC EFFATO AUGUSTINO JANSENII NON APPRIMÈ CONSONUM?

Didacus de Oropega contendit gratiam superiori §. descriptam, id est, per se efficacem, condemnatam esse in Iansenio.

Deinde pag. 16. *Præter hanc gratiam* inquis num. 3. *ex Deo ipso efficacem, aliam doceo insuper dari inefficacem (alii vocant excitantem, vel Thomisticè sufficientem) quæ talis sit, ut homini sufficientes quidem tribuat vires, quibus v. g. possit converti, aut benè operari, sic tamen, ut efficaciori ei opus sit auxilio, quo actualiter convertatur.*

Quot verba, inquit ad hæc Didacus, *tot penè fuci & fallaciæ: Tunè inefficacem gratiam admittas Martine? Quo quæso sensu? An obvio & proprio? An alio præterquam Jansenianio. Nam & ex Iprensi Pseudo-Augustino fucum hunc discere potuisti &c.*

Ad hæc pag. 23. sic pergit Didacus:" satis me, inquies, Catho„ licum probo, & à damnato sensu remotissimum," *cùm dico* pag. 15. *Justis volentibus & conantibus cùm urget præceptum, adesse gratiam Thomistarum sensu sufficientem, sive ad superandam tentationem,*

sive

five ad bonum opus exercendum, adeòque ipsis præcepta non esse impossibilia. Frustrà rursus, infit Didacus, *gratiam Thomisticè sufficientem obtrudis, quam certum est à tua longissimo abesse intervallo.* Et paulò inferiùs: *nulli quoque Augustinum Jansenianum legenti dubium est, quin ejus Auctor .... admittat in Justis & conantibus* „ *secundùm præsentes quas habent vires, gratiam aliquam ex-* „ *citantem, & tuo sensu pseudo-Thomistico inefficacem & sufficientem.*"

& Iansenium admisisse gratiam Thomisticè sufficientem.

Prosequitur Didacus pag. 26. " *Admitto*, inquis pag. 3. num. „ 7. *dari interiores gratias, quas morte sua promeritus nobis est Chri-* „ *stus, quibus reipsà resistitur, & quæ reipsa aliquando abjiciuntur,* „ *denique quæ vero sensu gratiæ Christi dici queant.*"

Et resisti interiori gratiæ.

Ad hæc interjectis paucis sic respondet noster Didacus: " *Imò* „ *verò cùm Propositio 2. ut cæteræ quatuor, in sensu hujus Pseudo-* „ *Augustini condemnata sit, assero confidenter,* NULLAM *Jansenii* „ *& Martini particulam repugnare.*"

Inspiciamus ulteriùs, quid de aliis dogmatibus, quibus Exim. D. De Swaen se evidenter discernit à damnatis, statuat Didacus primâ parte *Difficultatum* pag. 29.

Et libertatem à necessitate.

„ *Ad merendum & demerendum in hoc statu naturæ lapsæ requiro* „ *libertatem non tantùm à coactione, sed etiam à necessitate*, inquis „ pag. 3. num. 8. Tum Didacus: *orthodoxa*, inquit, *enuntiatio est,* „ *si sensus subsit à Jansenio alienus. Verùm cùm verba eadem reperian-* „ *tur in quinque fraudulentis Articulis ..... suspecta mihi est, &* „ *reliqua verborum congeries.*"

Sed quid igitur desiderabit Didacus ad hoc ut quis sit liber à necessitate peccandi?

Didacus requirit gratiam, ad hoc ut quis sit liber à necessitate peccandi.

Liber non est, inquit in *Statera* pag. 201., *à necessitate peccandi, cui non adsunt nec offeruntur auxilia necessaria, aut nullo modo sufficientia ad peccatum vitandum.*

Intelleximus. Nisi Caligula v. g., Claudius, Nero, Vitellius, Domitianus, Heliogabalus, Decius, Valerianus, Diocletianus, Phalaris, Dyonisius Tyrannus, Sardanapalus, aliaque similia humani generis monstra habuerint auxilia necessaria ad vitandum peccatum, id est, ut Molinistis placet, nisi habuerint illuminationes quasdam, scrupulos, dubia, inspirationes &c. dum vel immani crudelitate Parentes, necessarios, alios quoscumque furibundi necabant: vel stupendâ voracitate, epulis

intenti,

intenti, corpora sua, turpia ventris mancipia saginabant: vel fœdissimis voluptatibus se, aliosque inquinamenta naturæ flagitiosissimè coinquinabant, vel hæc omnia simul homines nefandi securè patrabant, non peccarunt, quia non fuerunt, juxta sententiam Didaci, liberi ad vitandum peccatum, cùm eis defuerint auxilia necessaria ad illud vitandum. Nam *aio*, inquit *Didacus* pag. 203. *gratiam datam, vel saltem oblatam, esse conditionem necessariò requisitam ad peccandum liberè iis actibus, qui sine gratia omitti non possunt, assero hanc esse sententiam Ecclesiæ communissimam.*

At sequamur Didacum carpentem sententiam Exim. D. De Swaen circa 5. Propositiones.

Libenter subscribo, inquit Exim. D. De Swaen in prædicta Epistola ad Illustrissimum D. Sebastenum, *huic resolutioni, quam circa Propositionem quintam Aphorismis suis inseruit Collega noster Eximius Dominus Steyaert 1. p. Disp. 38. asserens quintæ Propositioni inter damnatas per hoc satisfieri*, " quòd Justi omnes, adeòque „ & non prædestinati, gratias habeant sensu supradicto suffi„ cientes ad salutem suam æternam operandam, quas ipse Chri„ stus Jesus sanguine & morte suâ promeruit, ut proinde propriè „ pro ipsorum salute sit mortuus, etsi magis propriè pro præ„ destinatis. Addendo prætereà sensu generaliori mortuum esse „ pro cæteris omnibus quatenùs pro peccato Originali omnibus „ communi, adeòque pro communi causa mortem subiit, me„ ritus etiam generalia salutis media & instrumenta, ut Sa„ cramenta, totidem sanguinis Christi vasa &c. à quibus nemi„ nem exclusit sua conditione, ut ipse diabolus exclusus est, „ pro quo proinde nullâ ratione sanguinem fudit."

Asserit Didacus, Jansenium nihil negasse eorum quæ circa 5. Propositiones docent Amplissimus D. Steyaert & Ex. D. De Swaen.

Quis non crederet Exim. D. De Swaen subscribentem huic sententiæ Amplissimi D. Steyart satis ostendere suam istiusque Amplissimi D. sententiam per Innocentium X. vel Alexandrum VII. non esse condemnatam?

Sed frustrà est Exim. D. De Swaen, si Didaco nostro credimus, nam nihil horum negavit Jansenius: *Ubinam autem Jansenius*, clamitat fol. 54. 2. partis Difficultatum, licet Propositionis hæreticæ evidenter reus, negavit Christum pro pec„ cato Originali omnibus communi, adeòque pro communi „ causa mortem subiisse? Ubi negavit Christum meritum esse „ generalia salutis media, & instrumenta, ut Sacramenta totidem „ sanguinis Christi vasa &c.? Ubi asserit quod Christus ab his

 salutis

"salutis mediis quempiam excluserit conditione suâ, ut exclusus est diabolus."

Si rursus in tota hac materiâ cupiat quis se discernere à Jansenio, dicendo se profiteri doctrinam de prædeterminatione Physica quam Jansenius se non tenere profitetur: nihil adhuc apud Didacium nostrum aget? Nam ille pag. 70. *Ubinam* intonat, *Jansenius profitetur se non tenere doctrinam de prædeterminatione Physica in statu naturæ lapsæ, sicut à Thomistis communiter defenditur? Ubinam discrimen, suam inter Medicinalem & hujusmodi Physicè prædeterminantem deduxit.*

Sic velit nolit, Ex. D. De Swaen aliique, qui eandem cum ipso tuentur doctrinam de gratia per se efficaci, debent esse in Jansenio condemnati, id est rebelles Ecclesiæ, hæretici, &c. Quin imo si fides Didaco, Eximius D. De Swaen in materia de gratia, libero arbitrio & morte Christi, in nullo prorsus apice deflectit à Jansenio, *Tua principia*, inquit, p. 1. diff. fol. 8. Eximie Domine, quæque ex principiis deducis consectaria in materia de gratia, libero arbitrio, & morte Christi, in NULLO PRORSUS APICE, deflectunt à principiis & consectariis Jansenii: ergo tua, tuorumque discipulorum seu Alumnorum doctrina, qui non aliis principiis, non aliis sententiis sunt imbuti, nusquam deflectit ab erroneo, & hæretico sensu Jansenii, in materia de gratia, libero arbitrio, & morte CHRISTI quinque famosis Propositionibus comprehenso.

Cujus omnia principia in hac materia, & omnia consectaria in nullo prorsus apice deflectere *contendit à principiis & consectariis Iansenii.*

Et rursus p. 2. diff. pag. 14. *Omnia*, inquit Didacus, quæ Eximius docet in materia de gratia, libero arbitrio, morte CHRISTI pro omnibus sive in materia quinque hæreticarum Propositionum Cornelii Jansenii, reperiuntur quoad sensum in Episcopi illius pseudo-Augustino.

Et omnia quæ hic docet Exi. D. De Swaen, reperiri quoad sensum in Iansenio.

Quis non videat Didacum istum numquam fore contentum, nisi Eximius D. De Swaen orthodoxam suam de gratia CHRISTI doctrinam fateatur in Jansenio condemnatam, eamque amplectatur de gratia, libero arbitrio & morte CHRISTI doctrinam, quam circa hæc propugnat Didacus. Nam

Licet Eximius D. De Swaen eadem prorsus circa gratiam & liberum arbitrium pro statu naturæ lapsæ dogmata se tueri sæpissimè professus sit quæ circa hæc universa tuetur Schola Thomistica.

Licet iisdem omnia verbis lubenter exprimat. Licet

Licet eodem prorſus ſenſu quo univerſa Schola Thomiſtica, hæc ſua de gratia & libero arbitrio, &c. dogmata intelligere, vice non ſimplici aſſeruerit.

Licet doctrinam ſuam communem Scholæ Thomiſticæ circa Materiam de gratia & libero arbitrio rectè à ſe expreſſam eſſe frequenter evicerit, eundemque planè cum iſta Schola ſenſum iſti ſuæ doctrinæ ſubjeciſſe affirmaverit.

Licet ei ex animi ſui ſenſu hoc affirmanti credendum eſſet: ut enim Gregorius Pontifex Lib. 5. Epiſt 15. *Si credi fideliter confitenti deſpicitur, cunctorum in dubium fides adducitur.*

Ex quibus manifeſtum evadit, Didacum noſtrum, unicè carpere gratiam per ſe efficem. Vide calumniam.

Didacus tamen hæc omnia non niſi pro fucis habet & fallaciis. Omnia dogmata Eximii Domini De Swaen circa gratiam, liberum arbitrium, & mortem CHRISTI audacter aſſerit quoad ſenſum reperiri in Janſenio. Omnia principia, quæque ex iis fluunt conſectaria, *in nullo prorſus apice* à principiis & conſectariis Janſenii deflectere confidenter affirmat. Et hanc ob rem in libello cui titulus: Confutatio Libelli anonymi &c. pag. 53. petulantiâ ſingulari non veretur Eximio D. De Swaen aliiſque qui eadem in hac materia dogmata propugnant applicare illud Auguſtini lib. 5. contra Julian. Cap. 6. *Vos eſtis morum ruina, qui ipſius fidei, ſupra quam mores ædificandi ſunt, nitimini fundamenta ſubvertere.*

§. XII.

Ex Cenſuris & Conatibus Joannis ab Iſſelſteyn, & Cornelii à Cranebergh contra expoſitionem quinque articulorum, oſtenditur, eos id unum agere ut gratia per ſe efficax, contraria ſuæ Molniſticæ cenſeatur proſcripta.

EXpoſitionem quinque Articulorum Illuſtriſſimo Convenarum Epiſcopo oblatam, & per eumdem, ad Summum Pontificem tranſmiſſam, germanam continere & orthodoxam de gratia per ſe efficaci, libero arbitro &c. doctrinam, fidem faciunt non modò Thomiſtæ ſed tot Illuſtriſſimi Viri, qui eam expoſitionem, teſte Gonet, probarunt, & quotidie probant.

Si ergo oſtendi poteſt illos duos, de quibus in titulo, contendiſſe doctrinam iis articulis contentam eſſe in Janſenio proſcriptam,

ostensum erit, opinor, ipsam eos de gratia per se efficaci doctrinam, prout à Thomistis communiter traditur, velle esse in Jansenio condemnatam.

Joannes ab Isselsteyn contendit quinque famosos Articulos esse reipsâ Janfenianos.

Atqui hoc demonstrari potest manifestissimè. Etenim ut à Joanne ab Isselsteyn, quem se vocat, ordiar, hic in libello cui titulus *Doctrinæ Augustinianorum Theologorum circa V. Propositionum materiam expositio &c.* hoc pacto de quinque articulis pag. 17. loquitur. *Exilium, metus, existimationis cura, spes fortunæ melioris articulos extorsit in utramque partem versatiles in speciem Thomisticos*, REIPSA JANSENIANOS, nec se solum esse qui id sentiat, sed alios se habere adstipulatores, eosque non ignobiles è Clero sæculari in hisce studiis, ut ipse loquitur, *Canos* ostendit pag, 36. *Si mihi luberet*, inquit, *non fabulas inducere*, &c. darem qui ubi *primum incidêre in hos articulos*, TOTUM IN ILLIS JANSENII VIRUS *sub Thomistica phrasi callidè tegi non semel coram me pronuntiarunt. Quod plus est, hac ipsâ die, quâ hæc scribo, vir quidam è Clero sæculari in hisce studiis canus, judicii perquam perspicacis cum eum negotii causâ adirem, meque occupatum dicerem refutando libello articulorum illorum præcone: rem mihi statim præclaram agis, inquit, & utilem præstas Ecclesiæ operam: jam pridem Libellum istum refutatum videre gestii:* TOTUS NAMQUE ET IN ARTICULIS ET IN LIBELLO DELITESCIT JANSENISMUS.

Et totum in illis Jansenii virus callidè tegi.

Et totum in iis delitescere Jansenismum.

Itaque juxta Joannem ab Isselsteyn, aliosque, quos miris ipse laudibus in cœlum fert, quinque famosi, articuli in speciem quidem Thomistici sunt, reipsa Janseniani: *Totum in illis Jansenii virus sub Thomistica phrasi callidè tegitur; totus & in articulis & libello delitescit Jansenismus.*

At jam videamus quid de prædictis V. Articulis censeat Cornelius à Cranebergh. Hic nobis si non cautiùs certè apertiùs V. famosos articulos nihil aliud esse, quam Jansenismum, omnibus nervis adnititur ostendere. Libellum composuit sub hoc titulo: *Fraus quinque Articulorum à pseudo Augustini discipulis primùm Alexandro VII. Nunc iterum Alexandro VIII. obtrusorum sive eorum cum Augustino Iprensi convenientia demonstrata per Cornelium à Cranebergh Lovaniensem Theologum.* Ipse per se ipsum titulus abundè sufficit, ut quis videat quem sibi scopum præfigat ille Cranebergh, scilicet, vult eorum Articulorum cum Augustino Iprensi sivè cum Jansenio non probare simpliciter sed *demonstrare* convenientiam. Unde in ipsa statim præfatione inter præcipuas

rationes

rationes quæ articulos ipsi in sensu Authorum suspectos reddant, ponit primo loco hanc: *Quod* NIHIL, inquit, *contineant alienum à principiis & doctrina Jansenii* & paucis interjectis: *Monitum te velim lector*, inquit, *quòd etsi perfectam Articulorum cum doctrina Jansenii concordiam ostendo* &c. Et sub finem præfationis: *Ergo sane*, inquit, NIHIL *hactenus reperio, in quo ab Iprensi quoad rem recedant, aut recedere conentur*. Ipsam deinde rem aggreditur: omnesque & singulos articulos damnatis in sensu Jansenii quinque Propositionibus ad apicem convenire contendit *demonstrare*.

Cornelius à Craneb. bergh contendit 5. famosos Articulos nihil continere alienum à principiis & doctrina Iansenii. Imò perfectam esse concordiam Articulorum cum doctrina Iansenii.

Hinc capiti primo hunc præfigit titulum: *Primus Articulus convenit cum doctrina Jansenii*: Capiti secundo, hunc: *Secundus Articulus convenit cum doctrina Jansenii* & conformiter de tribus aliis capitibus sequentibus. Itaque quinque prioribus capitibus demonstrare studet quinque Articulorum cum quinque Propositionum doctrina omnimodam concordiam. Unde postquam Capite primo, primum Articulum, primæ ex quinque condemnatis plane conformem esse demonstrare conatus esset, sic nos omnes interrogat?

Hoc molitur ostendere de primo Articulo: item de Secundo &c Concludit non esse apicem quem non commodissimè concilies cum doctrina Iansenii.

Estne igitur in Articulo vel apex quem non commodissime concilies cum hac Jansenii doctrina Lib. 3. de gratia Salvat. cap. 13. col. 334. ESSE PRÆCEPTA QUÆDAM &c.

Ex quibus manifestum evadit, tenebriones illos, quinque famosos articulos, quos omnes gratiæ per se efficacis defensores eodem prorsus sensu intelligunt & approbant, quo universa eos intelligit & approbat Schola Thomistica, atro calculo voluisse notatos, utpotè, si illis credimus, omnino conformes condemnatis in sensu Jansenii quinque famosis propositionibus. Quod dum voluerunt, quid tandem aliud voluerunt, quam ipsi gratiæ per se efficaci prout in Scholis Catholicis passim traditur, quæque Articulis illis, teste Gonet aliisque clarè expressa est, labem affricare hæreseos, quasi in Jansenio cùm quinque Articulis foret condemnata. Sed haud passa est sibi imponi Roma. Scivit quinque famosis articulis non inesse eam fraudem quam eis inesse contendebat Cranenberg. Hinc, quia certum erat, fraudulentum esse libellum, qui impetendo quinque Articulos, gratiam impetebat per se efficacem à S. Augustini Discipulis propugnatam, die 19 Martii 1692. libellum proscripsit & condemnavit, & condemnando simul docuit, quid de doctrina, quid de scopo *Jacobi de La Fontaine*, & de *Didaci Oropega*, qui Cranenbergii libellum lubenter adoptarunt, sit statuendum.

Sed temeritatis suæ condignas luit pœnas.

§. XIII.

§. XIII.

Ea quæ hoc Capite, fusius dicta sunt, coguntur in compendium.

1. OStendimus Molinam & Lessium, renitentibus nobilissimis Orbis Catholici Academiis, repugnantibus passim gravissimis Episcopis, sua de gratiâ & libero arbitrio dogmata, cum ingenti publicæ pacis perturbatione in Hispaniam ac Belgium invexisse.

2. Exhibuimus Molinam mirè jactitantem, sua illa de gratia & libero arbitrio dogmata, S. Augustino aliisque SS. Patribus fuisse incognita, imo à nemine, quem quidem ille sciebat, sua ante tempora fuisse tradita.

3. Vidimus PP. Soc. Jesu Lovanii circa Lessii tempora intrepidè asserentes, nihil esse periculi, si à Sancti Augustini doctrinâ de prædestinatione gratuita recedatur.

4. Ob oculos posuimus multos Molinæ discipulos inauditâ maledicendi libidine abreptos, dum illorum alii, ipsum S. Augustinum cœcum fuisse ac stupidum, sine ulla fronte, calumniati sunt: alii doctrinam ejus de gratia, libero arbitrio, & prædestinatione, horridam ac truculentam esse, libertatem evertere humani arbitrii, occasionem præbere desperandi &c.

Et quo nihil excogitari potest absurdius: ipsum S. Augustinum non perinde Catholicum haberi, ac proscriptos ab Ecclesia [redacted] Massilienses.

5. Docuimus nemini proinde debere mirum videri, quod eamdem ob causam, Molinæ Asseclæ, in S. Augustini discipulos tantâ impotentia debacchentur. Porrò hos inter Molinæ asseclas, primo loco dedimus Ripaldam, qui gratiæ per se efficacis propugnatores, Lutheranismi, & Calvinismi magno supercilio reos agit, non ob aliud quàm quod gratiam his S. Prosperi versibus descriptam:

Ut cunctos vocet illa quidem invitetque nec ullum
Prætereens, studeat communem adferre salutem
Omnibus &c.

Non admitterent, quam Ripalda putabat esse S. Prosperi, cum esset Semi-Pelagianorum.

6. In medium adduximus diversas Propositiones quibus Germana

mana de gratia & libero arbitrio doctrina continetur, ob quas Molinistæ Gerardum van Werm, Christianum Lupum, Libertum Fromondum, Jacobum Pontanum, aliosque benè multos, S.T. Doctores, vel in circumjacentibus civitatibus & oppidis, præstantissimos S.T. Professores, tum Religiosos, tum sæculares, apud S. Sedem velut de Jansenismo suspectos traduxerunt.

7. Commonstravimus quo pacto, eandem ob rationem, apud Catholicam suam Majestatem, horridæ factionis & contagiosæ pestis detulerint S. Facultatem Lovaniensem, Episcopos Belgii, Canonicos Præmonstratenses Belgas, Augustinianos, Dominicanos, Carmelitas Discalceatos, Capucinos, Clericos Oratorii, Clerum Sæcularem, Consiliarios, simul omnes qui simul unam tuebantur de gratia per se efficaci pro statu naturæ lapsæ doctrinam.

8. Paucos ex multis Molinæ discipulis allegavimus qui gratiam intrinsecè efficacem, palàm carpere nigroque calculo notare non sunt veriti, dum alius, impiè, blasphemè, hæreticè sentire te clamitat si gratiam per se efficacem ita necessariam existimes, ut sine eâ opus bonum fieri aut tentatio superari non possit: alius, Ecclesiam per constitutiones Innocentii X. & Alexandri VII. eam doctrinam declarasse hæreticam.

9. Alios quosdam citavimus qui gratiam per se efficacem & necessitantem censent esse synonima: imò S. Augustinum & Concilium Tridentinum eidem gratiæ per se efficaci positivè adversari.

10. Didacum quemdam de Oropega his omnibus adstipulantem probavimus, dum orthodoxam de gratia per se efficaci doctrinam, qualis in scholis Thomistarum passim traditur, clarissimis verbis ab Eximio Domino De Swaen expressam, doctrinæ in Jansenio condemnatæ omninò conformem esse contendit: Quasi quæ doctrina in ore Thomistarum Catholica haberi debet & est, in ore Eximii Domini de Swaen aliorumque tum Sæcularium tum Regularium, qui ejus hac in parte doctrinam comprobarunt, foret hæretica.

11. Denique ex ingentibus conatibus Joannis ab Isselsteyn, & Cornelii à Granebergh contra quinque famosos Articulos ab Augustini discipulis primùm oblatos Episcopo convenarum, & per eundem ad Summum Pontificem transmissos, evicimus istos Molinistas, ipsam de gratia per se efficaci doctrinam, prout in Scholis Catholicis vulgò prælegitur, impetiisse, & tamquam in Jansenio

E damna-

damnatam graviter taxasse. Ubi tum verbo addidimus, libellum Cornelii à Cranebergh, qui inscribitur *fraus quinque Articulorum &c.* vaticano fulmine jacere protritum.

Profectò Molinistæ, non sumus tam stipites qui ex his omnibus videre nequeamus, quò vos per tot talesque conatus, per tot impotentes machinationes, per tot invecturas & dicteria nitamini, quando vel cœcus videre queat, non aliò vos per tot tales artes contendere, quam ut gratiam per se efficacem ex Scholis Catholicis proscribatis, & vestram Molinianam Canonizetis. Sed jam videamus quomodo eandem hanc ob causam invecti sitis in Censuras Lovaniensem & Duacensem.

CAPUT SECUNDUM.

§. I.

Paucis ostenditur quod ipsam Censuræ Lovaniensis doctrinam impetant Molinistæ.

TAm manifestum est ex pluribus Molinistarum dicteriis in Censuram Lovaniensem, Censuræ eos *doctrinam* carpere, ut nesciam quomodo quis eâ de re possit dubitare. Quapropter ne in re manifesta simus plus æquo longiores, tribus id testimoniis docuisse satis superque erit.

Doctrinam Censuræ Lovaniensis carpit Lessius.

Constat in Censura Lovaniensi tradi doctrinam de prædestinatione gratuitâ. Hæc porrò doctrina, usquè adeò displicuit Authoribus Apologiæ contra Censuram Lovaniensem, ut nigerrimo eam calculo censuerint notandam: *Dico tamen*, inquit Lessius, in præfatione suæ Apologiæ, unus pro omnibus, *sententiam hanc* (de prædestinatione gratuitâ) *non esse Divi Augustini, sed Calvini qui eam Augustino falsò imponit.*

Quî possent doctrinam Censuræ impetere apertius, & Censurare gravius?

Et Author Libri cui Titulus Defence des nouveaux Chretiens.

Prodiit ab Annis aliquot liber cui titulus: *Defense des nouveaux Chrêtiens, & des Missionaires de la Chine &c.* impressus Parisiis Anno 1687.

Hujus libri Author non veretur palam asserere, haud esse verisimile doctrinam in Censura Lovaniensi & Duacensi contentam,

ab Innoc. XI. esse approbatam, utpotè nimis conformem illi quam Innocentius X. & Alex. VII. per suas Constitutiones proscripserunt: *Persuasum volebant*, inquit, *revocatum esse hac ratione ab Innoc. XI. Decretum Sixti V. adversus binas illas Censuras: parum id quidem verisimile, ast longè illud minus, scilicet ipsum approbasse earumdem doctrinam, nimis conformem illi quam Innoc. X. & Alex. VII. per suas Bullas condemnarunt.*

An hoc non est ipsam Censurarum *doctrinam* nigerrimo calculo notare? Dicere, eam esse non modò conformem, sed *nimis conformem*, ei quam Summi Pontifices condemnarunt?

Et Erasmus pilius. Erasmus Pilius lib. 2. pag. 77. inde nobis volens invidiam conflare (sed ineptissimè) quod Censuram Lovaniensem laudasset Leydekeneus Calvinista: *Non est pulchra laus*, infert Erasmus, *quæ ex Calviniano fluit Calamo. Signum est quamdam esse Symphoniam inter Calvini & Censuræ illius doctrinam. Poterat vel ex ipsa laudè Calviniana, apud Orthodoxos aliquid decedere authoritatis Censuræ isti Lovaniensi.*

Quid est, si non hoc est arrodere ipsam Censuræ *doctrinam*? An non hanc arrodit qui audacter jactitat quamdam esse Symphoniam inter Calvini & Censuræ illius *doctrinam*?

Possem facile alia adducere in hanc rem argumenta, sed vel ex his tribus abunde constare arbitror, meritò Eximium D. de Swaen, productis in sua Dissertatione argumentis, quibus evicit timendum esse ne Molinistæ *aliquando* dicant damnatam esse gratiam per se efficacem, existimasse non longe ab iis abesse, qui scribere non erubuit, doctrinam Censuræ Lovaniensis quæ gratiam per se efficacem invictissimè asserit, nimis conformem esse illi quam Innoc. X. & Alex. VII. condemnarunt. Sed hac de re, postea latius. Hîc jam Patrem Outers, quoniam Censuræ Lovaniensis historiam nobis texere voluit aberrationibus fœcundam, lubenter sequemur, istiusque historiæ vanitatem, rebus prout verè gestæ sunt, ob oculos positis, planissimam faciemus.

§. II.

Evertitur Censuræ Lovaniensis historia quam nobis texit Pater Outers.

ISAGOGE

" PRæcipui, inquit Pater Outers, *Censuræ Architecti fuere Jansonius, atque Estius, Baii Discipuli*, hic Duaci ille Lovanii.
" Vulnus scilicet Baio inflictum concoquere non poterant. Abolenda erat ignominia quâcumque ratione, nec occurrebat potior, quam si nota non dissimilis, Societatis doctrinæ inureretur. Nimis magnas atque conspicuas in Bay causa partes gesserat Toletus adolescentis Societas illustre membrum. Atque ea fuit Censuræ occasio, ut præclarè observat illustrissimus Isaacius Habertus Vabrensis Episcopus in defen. fidei Cap. 14 §. 3.

RESPONSIO.

MIrum profectò est Molinistarum ingenium. Quamvis ratiunculæ quas pro suis rebus defendendis, allegant, sexcenties sint solidissimè refutatæ, pergunt interim semper illi more suo easdem illas acceptas ab aliis nænias nobis obtrudere, numquam soliciti respondere ad ea quibus invictè refelluntur.

Pater Outers veteres suscitat fabulas. Pater Van Outers veteres ex imagine primi sæculi querelas nobis hic reproducit, quasi ob Michaelis Baii condemnationem, unus aut alter quos Baii discipulos vocat, vulnus inflictum Baio concoquere non potuerint, adeoque quasi par pari referentes effecisse, ut simili notâ Soc. doctrina perstringeretur. Sed vana hæc esse & absona mox contra Patrem Van Outers ostendemus.

Ostenditur unanimi doctorum consensu editam fuisse Censuram Lovaniensem.

Henricus Gravius, non Jansonius, ut vult Pater Outers, Author fuit Censuræ Lovaniensis. Lensæus verò justificationis ejusdem Censuræ parens fuit præcipuus. De quibus Consule fastos Academicos pag. 371.

Porrò Censuram à Viro gravissimo Gravio compositam non privatorum aliquod doctorum opus fuisse, vel ex eo manifestum est,

quod

quod ejusdem Censuræ justificationem editam anno 1588. *omnium ejusdem Facultatis Doctorum concordi judicio probatam esse* testetur Henricus Cuykius ejusdem Facultatis Decanus.

Concordi omnium Magistrorum calculo probata Censura Lovaniensis, ejusque justificatio.

Atque ne posteris ullum posset suboriri dubium, quin concordi universæ Facultatis judicio propositiones 31. editâ Censura perstrictæ fuissent, voluit divina providentia ut circa illam ipsam subscriptionem difficultas quædam moveretur: *Volebat Apostolicus nuntius aliam subscriptionem dari abhorrentem à consuetudine & veteri more nostræ Facultatis* inquiunt acta, *nempe ut solus Bedellus subscriberet, duorum testium junctione facta & expressis singulorum magistrorum nominibus, qui eam se justificationem coram dictis testibus probare profiterentur. Verum Facultas eam ob causam sub juramento vocata indicabat insistendum esse priori subscriptioni, quam se concorditer omnes probare declarabant. Agendum quoque esse apud Illustrissimum Nuntium, ut ea subscriptione dignaretur esse contentus. Id quod eo ipso die ab eo impetraverunt Decanus, Gravius, & Lensæus. Hoc unum ille requirebat, ut in ipsa Facultate, exhibitio coram Jacobo Perano suo abbreviatore ratificaretur & quantum opus esset, ab omnibus repeteretur. Quam ob rem ejusdem diei tertiâ horâ pomeridianâ, Facultate iterum sub juramento vocatâ, cum omnes adessent præsentes in loco minoris Capituli S. Petri Lovaniensis, omnium etiam una vox eademque sententia de ratificanda & repetenda si opus esset, exhibitione semel facta. Tum ingredi jussus est Peranus abbreviator cum Bedello & testibus duobus, coram quibus repetita est ab omnibus Magistris dictæ justificationis exhibitio.*

Constat igitur non unius vel alterius Doctoris, sed universæ facultatis & Censuram & Censuræ justificationem concordi judicio fuisse probatam. Vide Perorationem justificationis Censuræ.

Ostenditur nullo fundamento niti eos qui asserunt, Bay condemnationem, causam præbuisse condendæ Censuræ.

Nihil hic habuit causa Baii.

MUltis id argumentis probari potest.

Primùm quidem, constat, quod ante constitutiones Pii V. & Gregorii XIII. Adversus Propositiones Michaelis Bay concors fuerit Lovaniensis Scholæ sententia de prædestinatione & gratia, articulis Lessianis An. 1587. reprobatis directè opposita. Etenim Guilielmus Estius qui ab Anno 1561. usque ad Annum

 1582.

1582. has Scholas trivit, partim ut discipulus, partim ut licentiatus, aut magister, quique sententias & doctrinam professorum illius temporis probè cognitam se habuisse declarat, testatur eo loco tum habita fuisse dogmata, à Lessio & Deckerio postea tradita, ut si quis ea publicè vel docendo proponeret vel disputando defenderet, non parum offenderet. *Quamvis*, inquit in responsione ad Deckerium *præter Cunerum vix aliquem novi, qui id tentarit: etsi per id tempus quod nominavi, habuerit ea Schola multos doctissimos Professores.*

Itaque cum constet, ante censuram, editam imò ante Bay condemnationem, eos qui dogmata quæ postea Lessius docuit, publicè vel docendo proponerent, vel disputando defenderent, non parum, hoc est multum, offendisse: quo tandem fundamento nituntur qui Doctores Academicos majorum suorum vestigiis firmissimè insistentes, abreptos dicunt privato in hominem privatum Baium affectu, nec eos ex amore viritatis sed odio in Societatem contracto, offensos fuisse, dum Lessius cæpit Lovanii planè adversa docere iis, quæ immediatè ante in eadem Cathedra docuerat Robertus Bellarminus.

Nec odium in Societatem contractum.

Multis id rationibus evincitur.

Certum est præterea, Censuram Lovaniensem ab Episcopis Belgii eodem quo edita est Anno fuisse approbatam: & Episcopus quidem Iprensis qui cæteris fuerat magis cunctabundus, ut norunt Molinistæ, instante Mechliniensi Archipræsule, suam suæque Ecclesiæ Theologorum, circa finem Decembris sententiam misit Censuræ Lovaniensi conformem.

Tertiò in confesso est, & patet ex titulo Censuræ Duacenæ, Metropolitas Cameracensem, & Mechliniensem, nec non Episcopum Gandensem, postulasse Judicium Facultatis Duacenæ, atque ad illorum præsulum instantiam fuisse conscriptum.

Quartò in comperiò est justificationem Censuræ Lovaniensis jussu Episcoporum Belgii esse conscriptam. Vide præfationem justificationis.

Quintò exploratum est, eam censuræ Lovaniensis Apologiam concordi omnium Doctorum Judicio, coram Nuntio Apostolico fuisse probatam. Vide acta. Item Perorationem justificationis.

Denique patet ex imagine primi sæculi: *Mechliniensem ac Cameracensem Metropolitas, Synodum parasse,* " Episcoporum quà dogma" ta à duabus Facultatibus damnata discuteret, eademque toto

pro-

„ proscriberent Belgio, tamquam impias Massiliensium aut Pelagii „ reliquias, adeoque Societati notam inurerent hæreticæ pravitatis.

Hæc omnia, si credimus Authori imaginis primi sæculi, aliisque Molinistis, non processerunt nisi ex studiis partium & factionum. Non nisi ex privato in hominem privatum affectu, non nisi ex odio in Societatem contracto. Auctores, inquit Pater Outers, *Tempus, locus, occasio, partium studium similibus Theologorum judiciis authoritatem detrahunt, quæ evidens est sereno pacatoque animo non fuisse concepta.*

Itane verò Henricum Gravium virum præstantissimum summisque Pontificibus Sixto V. & Gregorio XIV. imprimis charum, Censuræ Lovaniensis Auctorem: Guilielmum Estium architectum Censuræ Duacenæ, quem Eximium fuisse Theologum scripta ejus me tacente loquuntur: Lenzæum justificationis Censuræ parentem, acerrimum Ecclesiæ Romanæ vindicem: omnes Doctores Facultatis Lovaniensis qui concordi judicio justificationem Censuræ probarunt: Doctores item Facultatis Duacenæ, ad quos nihil causa Baii: Illustrissimos Belgii aliosque Episcopos & viros præstantissimos qui Censuram Lovaniensem præclaris elogiis celebrarunt, tales fuisse homines credemus, qui non studio permoti veritatis, sed odio abrepti in Jesuitas, idque ex privato in hominem privatum studio, turbulento animo, hesterna Lessii dogmata voluerint proscribere & condemnare? Absona sunt quæ dicitis RR. PP. & viris tam præstantibus tam injuriosa quàm quæ maximè.

Nefas est hoc vel suspicari de tot Episcopis, Doctoribus &c.

Cedo quæso, quare tandem tot Episcopi, tot Doctores Belgii, ex solo amore veritatis & justitiæ non potuerint condemnare dogmata Lessii: cum Hispaniæ Academiæ & Episcopi, nullo sinistro impulsi affectu, eadem Molinæ dogmata condemnare potuerint? Item cum Romæ plurimi Doctissimi Episcopi & Doctores ad id à Sanctissimo Domino Clemente Octavo consignati, *semper* Molinæ dogmata damnaverint, omnesque Consultores, uno solo dempto, improbaverint? De quibus consule Thomam Lemos tom. 1. pag. 288. & seqq.

An forte dicetis & tot Episcopos Doctoresque Hispaniæ, tot Episcopos & Doctores qui Romæ ad dogmata Molinæ discutienda à Sanctissimo Domino fuerunt deputati, abreptos esse odio in Societatem, & evidens esse, tantos viros non processisse sereno pacatoque animo?

Nescio

Nescio profectò an hoc palam dictitare audebitis. Nos certè nec de Episcopis Doctoribusque Hispaniæ, nec de Episcopis & Doctoribus Belgii tam sinistram possumus habere sententiam, ut eos cogitemus contracto in Societatem odio, non studio veritatis, Molinæ Lessiique dogmata improbare voluisse.

Quos absurdum est, cogitare fuisse mentitos. Malumus credere majores nostros haud fuisse mentitos dum in Præfatione Censuræ sive judicii scholastici, quatuor alias allegarunt causas quæ Sacram Facultatem præcipuè noverunt ut doctrinæ Lessii se opponeret. Harum causarum prima fuit, quod viderent totam propemodum Augustini de gratia & liberó arbitrio, deque prædestinatione & reprobatione doctrinam, oppugnari funditusque destrui ac everti. *Quare*, inquiunt, *intolerabile nobis visum est, quod non solum adversus Pelagium & ejus hæredes infeliciter laborasse Augustinus fingitur, sed idem quoque de Lutheranismo & Calvinismo suspectus redditur tamquam imperitus stupidus, ac cæcus habetur &c. Vide ibidem alias causas.*

ISAGOGE.

CAusam Lessii suscepit Joannes Strienus Doctor Lovaniensis: Levinus item Torrentius ab Antverpiensi Cathedra ad Mechlinienses infulas à Rege ob præclara merita designatus: Thomas item Stapletonius controversiarum Clarissimus scriptor.

RESPONSIO.

C*Ertè satis mirari non possum*, inquit ad eandem objectionem, Ex. Dominus Hennebel Thesi 2. Historico Theologicâ §. 1. *injustos dici censores illos, quorum judicium, bis paucis exceptis, cæteri ferè omnes probabant: neque eum dubitari potest, quin auctor imaginis primi sæculi in extrema causæ, quam tuendam susceperat necessitate, congesserit omnia quæ injustam sociis suis notam eluere poterant, alios tamen non reperit, quam Theologos duos, Episcopum nempe Middelburgensem & Stapletonium. Levinus Torrentius post editam Censuram Lovaniensem Cathedræ Antverpiensi præfectus, erat jurisconsultus. Episcopum externum unicum, omnibus duarum Provinciarum doctissimis præsulibus, qui cum Ecclesiæ suæ Theologis, Censuræ Lovaniensi subscripsere, præferre vel comparare & ridiculum & iniquum est. Unicum quoque Doctorem duabus opponi integris Facultatibus quis ferat? Maximè*

mè si attendatur quid de eo senserit vir doctissimus, nec Baio addictus, Thomas Lemos lib. 4. part. 2. 4. num. 619. cavendus est, inquit, *Stapletonius sicut S. Patri Augustino contradicens, & Pelagio favens. Ut enim evitaret Calvinismum incidit magna ex parte in Pelagianismum nesciens mediam viam inter utrumque tenere.*

Nihi Molinistis prodest, quod unum alterumve pro se allegent.

Vobis ergo RR. PP. nihil prodest, quod illi tres eo necessitatis articulo pro causa vestra steterint: nobis multum prodest quod illi tres soli fuerint, reliquis omnibus pro censura decertantibus.

ISAGOGE.

Solicitata utrimque Roma: delatum ad Apostolicam Sedem, negotium: vicit illic innocentia, ubi perfidiæ non datur accessus. Sixtus V. rerum Theologicarum peritissimus Pontifex litem diremit. Antiquata præpostera Censura: Lessiani articuli nigro calculo notari vetiti sub pœna excommunicationis latæ sententiæ. Sixti mandatum promulgavit Octavius Episcopus Calatinus, in quo Lessii articulos disertè commendat ut *sanæ doctrinæ articulos*. Quàm malè quosdam habuit hæc vocula! aliam igitur visum est substituere, nempè *Sacræ:* at quàm hæc sit ridicula, inepta, puerilis vitilitigatio, quis non videt?

RESPONSIO.

Verum est à patribus Societatis, solicitatam fuisse Romam, ut impedirent quo minus Mechliniensis & Cameracensis metropolitæ Synodum pararent Episcoporum, in qua dogmata Lessii discuterent, eademque toto proscriberent Belgio: & *perculit nostros*, inquit
" auctor imaginis primi sæculi lib. 6. cap. 4. impendentis periculi
" magnitudo, ac SINE MORA generalem per litteras edocent quo
" res cardine versentur: ille CONTINUO ad Pontificem adit, rem-
" que omnem CELERITER deponit. Sixtus EADEM CELERI-
" TATE nuntio suo ..... FESTINATAM profectionem imperat
" in Belgium, Nuntius *magnis itineribus* Lovanium delatus &c.

Tota videtur conflagrare Societas.

Admittimus ergo à Patribus ob impendentis periculi magnitudinem Romam fuisse solicitatam & eo quidem solicitatam fervore, eâ celeritate, perinde ac si tota conflagrasset Societas. Verùm quod tam festinatis ac præcipitatis conatibus, per mandatum Apostolicum, post editam Censuram per Episcopum Calatinum Nun-

tium Apostolicum jussu Sixti V. promulgatum Censurata sit vel antiquata Censura, vetus est Molinistarum Cantilena multò vanissima. *Non plus illo mandato*, inquit, Amplissimus Dominus Steyarts in sua assertione ejusdem Censuræ Lovaniensis & Duacensis, *censuratur utraque Censura, quam Libellus Thomæ à Kempis de imitatione* CHRISTI: *quin potius nullum in mundo scriptum, saltem quod tunc extaret, isto mandato censuratur: Sed tantum decernitur, quid imposterum circa quæstiones tunc motas servari debuerit. En siquidem totam mandati illius partem, quam vocant, dispositivam.* "Mandamus, ut nemo cujuscumque ordinis, gradus, conditionis vel dignitatis existat; in concionibus, lectionibus, disputationibus publicis & privatis, aut ubicumque promiscua virorum ac mulierum multitudo convenire solet; de his assertionibus controversis in alterutram partem ita disputare, rationibus vel Doctorum auctoritate unius partis assertiones confirmare, alteriusque refellere aut impugnare, vel cujusvis pietatis aut necessitatis prætextu, de his loqui, scribere vel dictare in posterum attentet, ut ausu temerario eas hæreticas, suspectas, offensivas, & periculosas esse; & qui eas asserunt, alicujus hæresis labe aut suspicione contaminatum iri, donec authoritate Apostolica maturè definitæ fuerint, affirmare præsumat. Quod si quis contrafecerit &c."

Decreto Sixti V. non magis censurata Censura est quàm censuratus sit Libellus Thomæ à Kempis.

Hactenus Episcopus Calatinus decernens, ut diximus, quid IN POSTERUM *fieret; de præteritis ne verbum quidem admiscens quod ad prohibitionem vel damnationem pertineat. At utraque Censura jam edita erat, Duacensis quidem initio ejusdem anni qui erat* 1588. *Lovaniensis verò etiam biennio antè. Ideoque si quid ex hoc mandato circa illas resultaret potius esset earum tacita approbatio, & implicita quædam declaratio, quod hactenus quidem peccatum non foret, sed caveri deberet, ne in posterum hac in parte peccaretur.*

Cautum dumtaxat quid in posterum fieret.

Quando Pater Outers hoc Amplissimi Domini argumentum bonis rationibus refellerit, tunc tempus erit dandi alia: sed quoniam ne vel hoc unum umquam refutaturum satis compertum habemus, non erit etiam nobis umquam necesse alia proferre argumenta, quibus fabulam confutemus.

At quamvis hoc ab illis ipsis, quorum in Censuris doctrina perstringitur, excogitatum figmentum, ineptum esse demonstratum sit, equidem *Lessii articuli*, inquit Pater Outers, *nigro calculo notari vetiti sub pæna excommunicationis latæ sententiæ*.

Et dogmata Scholæ Lovaniensis nigro calculo notari vetita.

Et dogmata Scholæ Lovaniensis nigro calculo notari vetita per easdem Nuntii Apostolici litteras. Cur hoc siletis? Cur quotidie conviciis proscinditis & hæreseos labe aspergitis eos, qui doctrinam Censuræ propugnant? Id quod vetitum est sub pœna excommunicationis latæ sententiæ. Videte Patres, quam decretorum Pontificiorum sitis observantes.

Sed jam pervenimus usque ad voculam *sanæ* in qua una magnam, si non omnem hac in materia, victoriæ spem collocant Molinistæ. At quam ineptè, ab octoginta jam & eo amplius annis, jussu Facultatis Theologicæ Duacenæ ostendit Ex. D. Rythovius in responsione ad Deckerium:

Utra pars controvertentium, inquit inter alia Rythovius, *sanam Doctrinam tradat, non explicat.*

Quin Amplissimo Domino Steyarts tam insulsum visum est hoc commentum, ut in assertione sua dicat se nescire quomodo illis qui ista objiciunt, adeoque & Patri Outers, sit *sanum* caput.

Asserentibus Articulos Lessii vocatos esse sanæ doctrinæ, non esse sanum caput.

" Ego vero nescio, inquit, quomodo illis, qui ista objiciunt, sit „ *sanum* caput. Omitto enim quod alii non vocem, *sanæ*, sed *sa-* „ *cræ*, in mandato Pontificis fuisse contendunt, ut idem sensus sit, ac „ si diceretur: super quibusdam articulis Theologiæ, quæ doctri- „ na sacra vocari solet. Sufficit quod manifestum sit, illud, *sanæ* „ sic accipi non posse, ut Nuntius Apostolicus declarasse censeatur, „ doctrinam quæ in Censura utraque refutatur, esse *sanam*. Pro- „ batur id multipliciter. Primùm quidem, quia sic Nuntius præ- „ judicasset ipsi Pontifici; & remittens quæstiones illas ipsi defi- „ niendas, interea in antecessum ipsemet eas definivisset, declarans „ articulos de quibus quæstio, esse *sanæ doctrinæ*: & quidem id „ penè ipso loco ejusdem mandati, ubi se patres obsecrasse dicit, ut „ disceptationibus hujusmodi, quoad Sua Sanctitas quæstiones „ controversas definierit, tum verbo, tum scripto desisteretur: quod „ ut faceremus, ait, Apostolico mandato ad nos directo jussi sumus; „ præsertim cum nulli, nisi successori D. Petri Romano Pontifici, „ liceat doctrinæ Christianæ res controversas definire." Vide lector ibidem alia huc spectantia quibus evincitur quam non sint sani cerebri qui propter particulam *sanæ*, tam insanos ubique tollunt clamores.

Pueriles sunt qui pueriliter explodunt Viros gravissimos.

Cæterum quod Pater Van Outers virum gravissimum Thomam Lemos puerilis vitilitigationis insimulet, dum ipse, qui breve

Apostolicum vidit & revidit, legit *sacræ* non *sanæ doctrinæ articulos* quis ferat? At inquit] Pater Van Outers, *quam hæc sit ridicula, inepta, puerilis vitilitigatio, quis non videt?* Imò quis non videat vos esse ridiculos ineptos, pueriles vitilitigatores, dum quidquid præconceptis vestris opinationibus quoquomodo adversatur, tam ridiculè, ineptè & pueriliter exploditis.

Sed ut ut sit, Sixtum Quintum, Propositiones Lessii *sanæ doctrinæ* elogio decorasse ex iam dictis patet esse vanum, & Henriques vester ostendit Sixtum V. quidvis potius quam hoc fecisse. Nam ille lib. de fine hom. cap. 12 *Satis videtur*, inquit, *si sententia affirmans electionem ad gloriam factam esse ex prævisis electorum meritis damnetur nota temeritatis ex Doctoribus Scholasticis* supra citatis: esseque planè contra Augustinum constat, quem Patres in Conciliis, & major meliorque pars Theologorum antiquorum & torrens recentiorum sapientum sequitur *In omni ferè Academia orbis Christiani*. Tum addit: *quidam doctus* (procul dubio *Lessius*) *prædicavit in academia Lovaniensi oppositum, cum magno scandalo academiæ: & re ad Sixtum V Papam delatâ*, SUSTINUIT SUÆ TEMERITATIS ACREM REPREHENSIONEM.

Sixtus V. acriter corripit P. Lessium ob doctrinam quam ab eodem Sixto V. sanam fuisse vocatam dictitant Molinistæ.

Hoc nempe est gravissimum Sixti judicium, quo Propositiones Lessianas (quarum hæc erat quinta) *Homines non sunt immediatè & absolutâ voluntate destinati ad gloriam, antè omnem prævisiorem meritorum*, SANÆ DOCTRINÆ ARTICULOS appellavit. Itane acrem temeritatis reprehensionem approbationem & *sanæ doctrinæ* encomium interpretamini?

ISAGOGE.

A*Tque hunc habuit exitum utraque Censura.*

RESPONSIO.

CUr hîc involvis Censuram Duacenam? Cum pleraque quæ ante dixisti, ad hanc Censuram non pertineant? An fortè etiam Censuram Duacensem per Sixtum Quintum antiquatam dictitabis? Qua fronte ergo jactitas: *Hunc habuit exitum utraque Censura.* Cæterum ex iis quæ nos diximus, patet Censuram Lovaniensem, quæ gratiam defendit omnipotentis Dei, felicem planè (quæ gratia Dei est) habuisse exitum.

Censura Lovan. felicem habuit exitum.

ISAGOGE.

Quare mox tenebris, ut VERGENS IN DEDECUS AUCTORUM SUORUM (quemadmodum Isaacius Habertus censet) sepulta est, atque alto diu pressa silentio, donec illam instaurare in fulgurito suo volumine aggressus est Jansenius.

RESPONSIO.

Doctrinam in Censura contentam tenebris sepultam esse atque alto diu pressam silentio, manifeste falsum esse constat ex solemni decreto quod tribus Doctoribus, qui Censuram ejusque justificationem superiori sæculo probaverant, adhuc viventibus, anno hujus sæculi 13. tota Facultas, sparsis per Hispaniam, aliasque partes, obviatura rumoribus, coacta fuit edere, per quod nullo magistrorum ipsius contradicente, "*Uniformiter declaravit & testata se* „SEMPER tenuisse & nunc de præsenti tenere, *semper* perstitisse, „& nunc de præsenti persistere in antiqua sententia, quam in Cen„sura tenuit & ibi declaravit, nec umquam ab illa sententia discess„isse, nec in posterum, Deo favente discessuram, donec per Sum„mum Pontificem aliud definiatur, aut à S. Rom. Ecclesia (cujus „Censuræ & correctioni, omnia in prædicta Censura contenta, & „quælibet alia à se dicta & in posterum dicenda, humiliter subjicit, „aliud teneri ei præcipiatur."

Doctrina Censuræ Lov. numquam tenebris sepulta est.

Similem declarationem anno hujus sæculi 1648. edere coacta fuit Facultas Theologica Duacena, quam declarationem & alia huc spectantia vide in Thesi prima Historico-Theologica Eximii Domini Hennebel §. 1.

ISAGOGE.

Recusa est mox Censura cum sua justificatione, non sine manifesto Sedis Apostolicæ contemptu.

RESPONSIO.

Post insinuatum Facultati Sixti V. Decretum, composita est jussu Episcoporum Belgii justificatio Censuræ Lovaniensis, &

concordi omnium Doctorum calculo probata, in manus tradita Episcopi Calatini Apostolicæ Sedis ad partes inferioris Germaniæ Nuntii. Ex quo patet omnibus Doctoribus, omnibus Episcopis, quin ipsi Nuntio Apostolico certum fuisse, Sixti V. Decretum non obstitisse, quo minus edi posset Censura ejusque Justificatio. Id unum cautum Nuntii Apostolici Decreto, ne alterutra pars acrioribus verbis & Censuris alterius dogmata perstringeret.

Nec Censura, nec Censura doctrina umquam vetita imprimi.

Quod utinam tam sedulò à Molinistis servatum esset ac servatum est à Lovaniensibus. Vide Thesim 3. Eximii Dni. Hennebel §. 2.

I S A G O G E.

JAnsenius temeritatis suæ pœnas dedit orbi notas. Censura rursus suppressa; Jansenii sortem plorantibus patronis ejus ac discipulis.

R E S P O N S I O.

QUid Censuræ Lovaniensi cum causa Jansenii? Falsissimum est propter condemnationem quinque famosarum propositionum, Censuram vel in minimo esse læsam. Ubinam tandem decreta Innoc. X. & Alexandri VII. proscribentia quinque famosas propositiones, meminerunt Censuræ? Et quidem ad doctrinam in Censura contentam quod attinet, illi ipsi Summi Pontifices declararunt se nullo pacto voluisse condemnare gratiam per se efficacem, quam invictè tuetur illa Censura. Sic interim Pater Outers illudit indoctis: *Censura rursus suppressa*, inquit, cum nec antè fuerit umquam suppressa & hîc ne vel vestigium appareat suppressionis. A doctrina in censura contentâ numquam recesserunt majores nostri, id quod sæpius, ubi propter adversariorum calumnias opus fuit, palam declararunt.

Numquam suppressa.

Solemnem admodum fidei & doctrinæ professionem promulgarunt anno 1649. *nos*, inquiunt Sacræ Facultatis Lova-
" niensis Doctores toti orbi Christiano testatum facimus, nos Sa-
" cras Scripturas, Concilia, & SS. Patres eo sensu & modo re-
" cipere, quo S. Catholica & Romana recipit & interpretatur
" Ecclesia, quam veritatis Magistram agnoscimus.

"Belgicarum quoque universitatum Lovaniensis & Duacen-
" sis à sexaginta jam circiter annis Censuras adversus P. Leo-
" nardum

"nardum Lessium, & P. Joannem Deckerium aliosque Societa-
" tis Sacræ Theologiæ Lovanii & Duaci Professores : denique
" quidquid postea Clemens VIII. & Paulus V. in Celebri dispu-
" tatione Romana contra Ludovicum Molinam & sectatores
" ejus censuerunt, exosculamur, & Dei gratia firmiter retinere
" conamur".

ISAGOGE.

INde post non modicum temporis intervallum rediere animi: iterum typis subjecta anno 1575. atque iterum anno 1683. " quando Româ redux Franciscus van Viane jactare cæpit libel- "lum, censuram ejusque justificationem complexum, Romæ fuis- " se approbatum : jactare inquam, quippe provocatus sæpè, & in " testimonio dicendo varius fuit, & nullas umquam adducere " tabulas potuit, quibus dictis suis fidem faceret.

RESPONSIO.

ANimus propugnandi doctrinam, in Censuris contentam; numquam rediit, cum numquam fuerit amissus : quem amissum fuisse inde non probatur, quod Censuræ toties fuerint typis subjectæ. Sed quid tu conaris iterum cum aliis Molinistis Eximium D. Van Viane insimulare mendacii vel restrictionis purè mentalis a qua magis abhorret quam vester Lessius? Et primò, qua fronte separas testimonium Eximii D. Van Viane ab eo quod tulit Ex. Pater Lupus ?

Nunquid qui vanam hanc tuam Historiam legit, solum Ex. D. Van Viane putaret ferre testimonium? Atqui tamen & Franciscus Van Viane & Christianus Lupus sibi intimatum esse testantur, doctrinam libelli esse ab omni nota liberam, posseque doceri sine offensa Sanctæ Sedis. En tibi lector litteras quas Româ Lovanium ad Ex. D. Decanum S. Facultatis miserunt Eximii Viri Christianus Lupus, & Franciscus Van Viane

Imò declaratum Romæ doctrinam Censuræ esse ab omni notâ liberam.

EXIMIE DOMINE DECANE.

Eximii Confratris nostri D. Andreæ Laurent, mortem gravissimè doleo. Et quia omnes sumus senes, forsitan brevi quidam ipsum sequentur. Certè ipsius lectio nemini debetur, nisi eximiæ Dominationi vestræ. Et spero fore, ut

sua

sua Catholica Majestas suos oculos non dirigat in alium. Eadem est ratio vacantis præsidentiæ. Et certus sum Eximios Dominos non facturos aliud. Et Eximia Reverentia Vestra non possit refragari.

Dum venimus ad almam Urbem, suæ Sanctitati mox proposuimus quæstiones & articulos duplicis generis: morales & Dogmaticos, tangentes Divinæ gratiæ auxilium ac Decreta, adversum quos adversarii nostri declamabant varia, & nos variè accusabant. Verùm primates suæ Sanctitatis Ministri istos disparatos noluerunt articulos accumulari, voluerunt exordium duci à moralibus. Et ita fecimus. Et circa morales articulos laboravimus per integrum ferè biennium. Et tandem impetravimus decretum condemnatorum sexaginta quinque articulorum, communi omnium qualificatorum, ac etiam Dominorum Cardinalium suffragio. Damnati insuper sunt alii triginta tres: Decretum prodibit, dum placuerit Sanctissimo Domino.

His expletis perreximus ad secundam quæstionum speciem. Suæ Sanctitati in proprias manus dedimus Lovaniensis ac Duacensis Sacræ Facultatis Censuram nec non Lovaniensis Censuræ justificationem, scripto libello supplicantes istorum omnium Apostolicum examen & approbationem. Addidimus istis libellis compendiosè contineri doctrinam, quam Majores nostri tradiderunt à tempore Eugenii Quarti Pontificis, qui Theologicam Facultatem evexit Lovanii. Et sua Sanctitas Libellos transmisit ad examen Sancti Officii. Domini Cardinales examen delegarunt quatuer Theologis: nempe Magistro sacri palatii, Commissario Sancti Officii, Reverendissimo Patri Laurentio Laureia, Ordinis Conventualium Sancti Francisci, & Reverendo Patri N. Miraballa Theatino. Hi elapsâ septimanâ suum judicium retulerunt præfatæ Sanctæ Congregationi: censuerunt libellos esse sanæ doctrinæ, nulli Censuræ obnoxios, posse tutò doceri, & legi, adeoquè & imprimi. Attamen super hu nullum volunt confici instrumentum, aut dare testimonium. Ita hodiè in Apostolico Palatio nobis dixit Illustrissimus D. assessor Sancti Officii. Cui ad colloquii finem adjunxi: Illustrissime Domine, libellus noster dicere poterit: Igne me examinasti, & non est inventa in me iniquitas. *Et ille reposuit: si esset iniquitas non transiret.*

Quarè confido ut Eximius Dominus Franciscus Van Viane possit brevi reverti ad vos. Ego adminus decies feci instantiam, rogans etiam redire: sum homo senex, & velim requiescere. Tandem quidam Cardinales suæ Sanctitati grati ac familiares, me jusserunt cessare ab istiusmodi instantiis, nisi vellem offendere: quod nec mihi expedit nec Sacræ Facultati. Proindè sum hìc mansurus sub custodia & protectione divinæ Clementiæ. Hinc itero preces nuper factas & denuò per Eximiam Reverentiam Vestram faciendas apud Eximios Dominos nempe ut permaneam de Corpore S. Facultatis, & tanquam ejus Deputatus percipiam fructus. Deus Opt. Max. Eximiam Dominationem Vestram, omnesque nostros Eximios Collegas, quorum precibus me commendo, Diu custodiat. Dabam Romæ die 10. Junii 1679. Eximiæ Dominationis Vestræ Devotissimus famulus: Signatum erat: Fr. Christianus Lupus. Infra habebatur: Idem testor: & signatum erat: Franciscus Van Vianen.

Hos

Hos tu Viros, Pater Van Outers, crassissimi argues mendacii, & absurdæ in ipsam Sedem Romanam imposturæ?

A duodecim jam & eò ampliùs annis sciverunt Molinistæ, sciverunt Romani, historiam hanc ab istis Doctoribus esse per Belgium publicatam. Si vana esset historia, nec Romani in re tanti momenti tam diu passi essent sibi pro impostorum aliquot libidine tam turpiter imponi: nec Molinistæ pro ea quâ sunt in rebus suis agendis solertiâ, tam diu distulissent procurare testimonium aliquod Authenticum, quo Doctorum illorum impostura fieret manifesta.

At at responsum est, inquiunt Molinistæ, à multis annis Deputatis Lovaniensibus Romæ, extare apud Congregationem S. Officii Decretum, quo olim utraque Censura vetita est imprimi, quod testantur Litteræ ex Urbe datæ.

Sed datæ ab eo, Respondet in sua Assertione Ampl. D. Steyaerts, *qui nomen suum erubescit. Jam toties expostularunt alii, ut qui hoc ex Urbe scripsit, proderetur: nec tamen proditur. Vi'n autem ego eum prodam?* NEMO *est: idque tamdiu tuebor quàm ostendent illi* ALIQUEM *esse.*

Litteræ quæ hoc testimonium infirment, missæ Româ à nemine. *Vide quid hic garriat P. Van Outers.*

Quin tu Pater Van Outers solidè refutas hujus Ampl. Viri Assertionem, quâ tam invictè contra quorumdam objectiones Censuram Lovaniensem astruit propugnatque. Responde illi, si Vir es. Alioquin gerras tuas & sexcenties confutatas fabulas negligemus. Nam quod de Censura subjungis.

„ At qnid si staret incolumis Censura, quid & quantum ei „tribuendum? Dicam apertè quod sentio, non plus illi defe„rendum crederem quàm famosæ Thesi Duacenæ nuperæ „ septem Capitibus distinctæ, cujus temerariam Approbationem „ duo Doctores & Licentiati luunt exilio, quamque innoxiè „ approbari potuisse censuêre tot Doctores *Lovanienses*." Hoc, inquam, non nisi à Patre Van Outers scribi potuit. Et commemorasse, refutasse est. Interim ut & ego apertè dicam quod sentio: nunquam putavi negotium illud Duacenum tantis imposturis, tantis mendaciis, tam malitiosè peractum, hîc a Jesuitis resuscitandum. Existimabam non fore eis pulchrum, hunc lapidem movere.

§. III.

§. III.

Quæ hoc Capite pluribus dicta sunt, in pauca rediguntur.

1. MOliniſtas ipſam Cenſurarum Lovanienſis & Duacenſis doctrinam carpere, adductis teſtimoniis planum fecimus, dum eorum alius ſcribere non erubuit, Cenſurarum doctrinam nimis conformem eſſe illi, quam Innoc. X. & Alex. VII. per ſuas Bullas condemnarunt; alius, quamdam videri eſſe Symphoniam inter Calvini & earum Cenſurarum doctrinam.

2. Quam hiſtoriam Cenſuræ Lovanienſis nobis exarare voluit Pater Van Outers, fabulam eſſe evicimus ſexcenties confutatis næniis divitem. Et primò quidem Cenſuram hanc Lovanienſem unanimi S. Facultatis Doctorum calculo comprobatam fuiſſe demonſtravimus.

3. Vanum eſſe argumentis non vanis oſtendimus, cauſam Bay occaſionem dediſſe conſcribendæ Cenſuræ. Et non niſi temerarium commentum eſſe natum in cerebro Moliniſtarum, quod tot tam præclari Epiſcopi, tot alii tam præſtantes eruditione & pietate viri, non veritatis ac juſtitiæ, ſed privato in privatum hominem ſtudio, & velut odio perciti in Societatem Jesu, Cenſuram Lovanienſem ejuſque juſtificationem, Cenſuram item Duacenſem vel conſcribi poſtularint, vel conſcriptas ſummis elogiis condecorarint: Cum nefas ſit vel ſuſpicari, majores noſtros (ut de Epiſcopis jam ſileam) mentitos fuiſſe, dum condendæ Cenſuræ ſuæ quatuor alias adferunt cauſas benè graves: quarum prima eſt, quod totam propemodum Magni Auguſtini de gratia, libero arbitrio, & prædeſtinatione doctrinam, everti funditus ac deſtrui viderent, quodque ipſis intolerabile videretur, quod non ſolum adverſus Pelagium ejuſque hæredes infeliciter laboraſſe Auguſtinus fingeretur, ſed idem quoque de Lutheraniſmo ſuſpectus redderetur, tamquam imperitus ac ſtupidus haberetur &c. de quibus conſule præfationem Cenſuræ.

4. Ex Ampliſſimo Domino Steyarts contra Patrem Van Outers probavimus Cenſuram Lovanienſem per Sixti V. literas non magis eſſe antiquatam vel Cenſuratam, quam antiquatus ſit vel Cenſuratus libellus Thomæ à Kempis de imitatione Chris-

11. Cum hoc unum decreverit Pontifex, quid *imposterum* circa exortas Lovanii controversias servandum esset.

5. Ex eodem Amplissimo D. contra eundem Patrem Van Outers, arguimus non esse iis *sanum* caput, qui ex vocula *sanæ*, (alii legunt *sacræ*) inserta literis Apostolicis, articulos Lessii ob quorum unum, Doctus quidam, teste Henriques, ab ipso Sixto V. acrem sustinuit temeritatis suæ reprehensionem, ab eodem illo Sixto V. *sanæ doctrinæ* elogio celebratos esse, lepidè comminiscuntur, quasi non cum hominibus, sed cum vervecibus haberent agendum.

6. Majores nostros ab ea doctrina, quam in judicio suo Scholastico invictis argumentis asseruerant, numquam recessisse, sole meridiano Clarius commonstravimus.

7. Denique ex ipsis Literis Eximii Patris Lupi Româ missis ad Eximium D. tum temporis S. Facultatis Decanum, manifestum fecimus, Eximiis Viris Christiano Lupo, & Francisco Van Viane, ab Assessore S. Officii in Palatio Apostolico die 10. Junii An. 1676. dictum esse, *Libellos esse sanæ doctrinæ, nulli Censuræ obnoxios, posse tutò doceri & legi, adeoque & imprimi.*

Unde vanos esse & irritos adversus præfatas Censuras earumque doctrinam, Molinistarum conatus rectè confecimus. At jam propositi nobis argumenti ratio postulat, ut etiam Eximium D. De Swaen ab eorum ob eamdem semper de gratia per se efficaci doctrinam, impotentibus conviciis vindicemus.

CAPUT TERTIUM.

§. I.

Ostenditur quid potissimùm contra Eximium Dominum De Swaen agat in sua Coronide Pater Van Outers.

Prima ratio ob quam P. Outers invehitur in Ex. D. de Swaen. Secunda ratio.

AD tria revocari omnia possunt.

Primò P. Van Outers insimulat Eximium Dominum De Swaen tamquam qui non exhibeat debitam reverentiam Decretis Summorum Pontificum Innocententii X. & Alex. VII

Secundò P. Van Outers arguit Exim. D. De Swaen, quòd in sua Dissertatione Theologica asseruerit & fuisse etiam

 inter

inter Catholicos, qui gratiam per se efficacem per Innoc. X. & Alex. VII. condemnatam esse dixerint, & verendum esse ne *aliquando* idem ab aliis Molinistis dicatur.

Tertia ratio. Tertiò invehitur P. Van Outers in Exim. D. De Swaen, quòd dum P. Van Outers effutiit Censuram Lovaniensem esse *futilem*, Eximius ille intellexerit ipsam eum doctrinam explosisse & vocasse *futilem*. Porrò quia id credidit Exim. De Swaen, dictu incredibile est, quot quantisque Pater Van Outers eum oneret convitiis.

Nos ut his tribus occurramus, tria ostendemus.

Sed nullas esse planum fiet. Primùm: quòd Exim. D. De Swaen eam exhibeat Constitutionibus Apostolicis reverentiam, ut hinc nullâ ratione possit culpari.

Secundò ostendemus Exim. D. De Swaen solidè probasse, verendum esse, ne *aliquando* Molinistæ gratiam per se efficacem per Innoc. X. & Alex. VII. proscriptam esse, apertè dictitent.

Tertiò probabimus Exim. D. De Swaen nulla convitia esse meritum ob id quod existimarit P. Van Outers, dum Censuram Lovaniensem summâ petulantiâ vocavit *futilem*, ipsam Censuræ *doctrinam* voluisse notare. Ordiamur à primo.

§. II.

Eximius Dominus De Swaen non potest, nisi injuriâ, insimulari non servatæ Constitutionibus Innoc X. & Alex. VII. debitæ reverentiæ

Nam ad primam quod attinet, Ex. D. De Swaen damnat V. famosas Propositiones in omni sensu in quo eas damnat Ecclesia Catholica. Circa has Summorum Pontificum Constitutiones observanda sunt duo: Alterum jus concernit, sive doctrinam, quæ per illas damnatur: alterum ad factum pertinet, quo proscripta in illis doctrina, Jansenio directè adscribitur.

Eximius Dominus De Swaen circa utrumque ea sentit, ut non nisi summâ injuriâ possit reus agi substractæ Constitutionibus Apostolicis debitæ observantiæ. Nam ad primum quod attinet, *Affirmo*, inquit Eximius De Swaen, Dissert. pag. 35. *me Articulos de Gratia, à præfatis PP. damnatos, damnare non tantùm in sensu, quem Calvino & Jansenio adscripsit P. Annatus, non tantùm in omni sensu quem universa damnat Schola Thomistica: sed & in omni sensu, in quo illas Ecclesia Catholica & Pontifices damnant.*

Assero,

Nullam umquam ex V. damnatis Propositionibus sustinuit.

Assero, me nullum ex 5. Articulis, nullum quoque eorumdem sensum ab Ecclesia & SS PP. damnatum, ullo umquam tempore laudasse, aut sustinuisse.

Nemo Lovaniensis ejus hac in materia doctrinam castigavit ne levissimè quidē.

Affirmo, nullum hactenùs è gratiæ per se efficacis Defensoribus in Academia Lovaniensi repertum, qui doctrinam meam hac in materia vel leviter castigandam, nedum ut Pontificiis Decretis adversam existimarit.

Nec mirum, nam condemnatos errores, tum verbo tum scripto sæpissime impugnavit, & quotidie impugnat.

Doctrinam propugnat à damnatis erroribus toto cœlo diversam.

Deinde, ut patet vel ex una Epistola prima ad Illustrissimum Dominum Sebastenum, dogmata propugnat, erroribus per Apostolica Decreta proscriptis, è diametro adversa.

Subscribit V. famosis articulis

Denique sæpe palam professus est & publicis scriptis declaravit se V. Articulis per Discipulos S. Augustini, Episcopo Convenarum oblatis, à Thomistarum Schola probatis, & ab ipsa Sede Apostolica, teste Gonet, commendatis, sincerè & sine ulla restrictione subscribere. Unde confidenter dicit cum Ex. Domino Hennebel Thesi Historico-Theologicâ 6. §. 2. *Si Catholici sint illi* (Thomistæ aliique Illustrissimi Viri qui eos articulos probarunt) " *Nescio cur ego de hæresi accusari queam, qui expositioni illi toto „ corde subscribo: nescio quid à nobis desiderare possint amplius Molinæ „ discipuli, ut tandem datis utrimque manibus ac conciliatâ pace à mu- „ tuarum sententiarum Censuris abstineamus.*"

Desiderare profectò nil aliud possunt, ut manifestè videant nullam ab adversariis suis in materia de gratia, libero arbitrio &c. hæresim doceri, adeoque gravissimè se peccare dum viros quoscumque præstantissimos, hæreseos insimulant & factionis. At multâ eis lubet, quæ facere non licet.

Numquam asseruit V. fam. Propositionum sensum non contineri in Iansenio.

Quamquam Eximius Dominus de Swaen præter omnia ante allegata, asseruerit sæpenumerò, se numquam vel verbo vel scripto testatum esse, Propositiones V. famosas minus rectè à SS. PP. fuisse damnatas, aut earumdem sensus in libris Jansenii non reperiri. Item se nihil probare in Jansenii libris quibuscumque, nisi quod in iis probari aut teneri à fidelibus, Catholica permittit Ecclesia. Ut testatur in sua Diss. fol. 36. operam suam oleumque semper ludit.

Nam apud Molinistas nihil his omnibus agit, nisi apertè profiteatur V. famosas Propositiones esse in libro qui inscribitur:

Augustinus Jansenii & in ejus sensu rectè damnatas ut hæreticas.

Sed potest esse bonus catholicus, quamvis noluerit hactenus credere eorum sensum illic reperiri. Nam justas habet rationes actum hunc fidei non eliciendi.

Sed videamus an Eximius D. de Swaen nequeat esse bonus Catholicus, quamvis id ad eorum instantiam & mentem necdum censuerit sibi præstandum.

En tibi lector rationes, ab quas hactenus credidit non posse se à privatis quibusdam gratiæ per se efficacis impugnatoribus eò compelli.

Primò malim ego, inquit Ex. D. de Swaen, *cum collega meo Ex. D. Henvebel juxta exemplum S Facultatis Lovaniensis, quæstionem hanc de sensu particulari Jansenii, ob studium partium intricatissimarum referre ad Apostolicam Sedem, quam in hac interminabili controversia litigare cum privatis quibusdam* iisque gratiæ per se efficacis impugnatoribus, *sollicitè interim cavens, ne vel verbulo impingam in constitutiones sæpe memoratas, ac contentus majorum meorum propugnare doctrinam.*

Porrò quæ rationes moverunt Facultatem ut hac via semper processerit, eædem movent Eximium D. de Swaen ut eâdem viâ procedat. Etenim hoc à S. Facultate actum ob triplicem potissimum rationem inquit Eximius ille Differt. pag. 34.

Prima ratio. *Ut religiosam suam erga S. Sedem Ecclesiarum omnium magistram, observantiam hâc viâ toti mundo redderet manifestam.*

Secunda. Quia sciebat nonnullos, Constitutionibus istorum Pontificum, præter eorum mentem, haud rarò abuti, vel ut gratiam per se efficacem eliminent, vel ut Molinianam canonizent, vel ut exosos apud imperitos reddant eos, qui eorum nutibus, votisque per omnia non obsecundant.

Tertia. Quia perspectum habebat, nihil se in Constitutiones Innoc. X. & Alex. VII. commissurum esse, si doctrinæ suæ, principiis SS. Augustini & Thomæ omnimodè conformi, fideliter inhæreret, eamque adversus æmulorum insultus propugnaret.

Quis tandem ille est, qui jure carpat Ex. D. de Swaen, dum vestigia premens majorum suorum, ob easdem illas rationes hactenus noluit de sensu Jansenii litigare cum privatis quibusdam, sed ut religiosam suam erga S. Sedem observantiam hâc viâ toti mundo redderet manifestam, maluit ad ipsam hanc S. Sedem Ecclesiarum omnium magistram, quæstionem illam intricatissimam referre, potissimum dum perspectum habuit, nihil se in Constitutiones Innoc. X. & Alex. VII. commissurum, si doctrinæ suæ

prin-

principiis SS. Augustini & Thomæ omnimodè conformi fideliter inhæreret, eamque adversus æmulorum insultus propugnaret, quorum aliqui nihil aliud agunt quam ut gratiam per se efficacem eliminent vel ut Molinianam canonizent, vel ut Exosos apud imperitos reddant eos, qui illorum nutibus votisque per omnia non obsecundant.

Quarta. Aliam rationem ob quam Molinistarum præposteræ petitioni non annuendum, hactenus censuerit Eximius D. de Swaen, pulchrè ded cit Ex. D. Hennebel Thesi Historico-Theologicâ de qua supra: *Scio*, inquit, *quosdam hoc unum expetere, ut generalibus inhærentes terminis, reverentiam & obedientiam Decretis Apostolicis Innoc. X. & Alex. VII. spondeamus: neque nos ab eo alieni fuimus umquam: verum generales ejusmodi professiones parum admodum ad pacem conducere experti sumus sæpius, & quotidie experimur, dum sensus tam varii, parum admodum sibi cohærentes, quin & sæpe Apostolicis Decretis, gratiam per se efficacem ab omni prorsus Censura vindicantibus repugnantes, à variis procuduntur Hinc omnes & singulos, quibus expositio nostra minus arridebit, obsecro per mansuetudinem Christi; ut aliam ipsi expositionem proferre dignentur, quâ ita satisfaciant Constitutionibus Innoc. X. & Alex. VII. proscribentium V. articulos, ut non impingant in eorundem Pontificum Constitutiones, gratiam per se efficacem carpi vetantes.*

Quis non videat justam admodum esse hanc rationem? Quid enim componendæ paci proderit, si Ex. DD Hennebel, de Swaen aliique conentur clarè dicere quis ipsis videatur esse sensus illarum Propositionum prout à Summis Pontificibus damnatæ sunt? Quid hoc, inquam proderit quando Molinistæ qui sexcentos quotidie procudunt novos earum Propositionum sensus tam varios tam parum cohærentes, quin & Apostolicis Decretis gratiam per se efficacem ab omni Censura vindicantibus, repugnantes. Quid hic Molinistæ vultis ut agamus? Prius nobis uno omnes ore edicite quis sit sensus illarum Propositionum in Jansenio. Convenite omnes & singuli in uno eodemque aliquo sensu, qui tamen non evertat principia de gratia per se efficaci, & tum omnes gratiæ per se efficacis defensores offerunt se, qui suam à Propositionibus damnatis doctrinam secernant. *Offerimus*, inquit Eximius D. de Swaen cum Eximio Domino Hennebel (*Si tamen posthac opus*) *nostram à Propositionibus damnatis doctrinam secernere*.

cernere, si modò in determinando illarum sensu Molinistæ & Thomistæ conveniant.

Nos interim, ne cuiquam possit fides nostra suspecta videri, profitemur quod articulos omnes in materia de gratia damnatos, eodem planè modo, sensuque damnemus, ac reprobemus, quo universa Schola Thomistica eos damnat ac reprobat.

Plura possem in hanc rem proferre, sed vel hæc pauca satis esse opinor ut quilibet non præocupati sed integri judicii, statuere possit, nullo pacto taxari posse Exim. D. De Swaen, dum odiosam illam Sedi Apostolicæ, & intricatissimam de sensu Jansenii controversiam sollicitè cum Majoribus suis volens declinare, nihil se in Decreta Apostolica hactenùs peccasse pro certo habet, quando juramentum, quod coram Facultate Theologica præstare tenentur omnes, qui ad Gradus Academicos volunt promoveri, ipse lubens præstitit. *Jurabis* (hæc est Formula juramenti) *te quinque Articulos per Constitutiones SS. PP. Innoc. & Alex. VII. damnatos damnare, iisdemque Constitutionibus religiosam observantiam præstare.*

Quinta.

Eximius D. De Swaen 5. illos Articulos per Constitutiones SS. PP. Innoc. & Alex. VII. damnatos damnat, iisdemque Constitutionibus religiosam observantiam præstat, dum cum Episcopis Galliæ dogmatibus fidem, reverentiam præstat factis. Si Pater Van Outers, vel quis alius his velit respondere, rogo ut non agat clamoribus & convitiis, sed solidis argumentis dignetur ostendere, Eximios Hennebel, De Swaen, aliosque qui eandem cum illis Doctoribus in hac materia doctrinam propugnant, Decretis Apostolicis Innoc. X & Alex. VII. non satisfacere, dum ob rationes hîc expressas cum Episcopis Ecclesiæ Gallicanæ, quorum circa hanc controversiam professio placuit Clementi IX. spondent *fidem dogmatibus, & reverentiam factis.*

Sexta.

§. III.

Eximius Dominus De Swaen rectè probavit verendum, ne gratiam per se efficacem Constitutionibus Innoc. X & Alex. VII. condemnatam esse aliqando *quidam dictitent Molinistæ.*

EA sunt Eximii D. De Swaen hac de re argumenta, ut mirum sit posse esse, qui iis sereno animo perlectis, de eo vel dubitent. Quod ut cuivis pateat, proferemus pauca ex iis & quàm brevissimè.

Cap.

Ante Eximium D. de Swaen quidam veriti sunt ne Molinistæ gratiam per se efficacem condemnatam esse aliquando dicerent, ac imprimis. Salmanticenses. Item Nicolaus de Pavillon. Item Ioannes Bapt. Genet. Hoc vel solum satis est ad vindicandum Ex. D. de Swaen.

Cap. 3. §. 1. ostendit, non esse se solum nec primum qui hoc timuerit, sed fuisse plures Theologos qui timuerint, aut etiam jam pridem prædixerint fore, ut nonnulli ex Constitutionibus Innoc X. & Alex. VII. contra eorum Pontificum mentem intellectis inferrent *aliquando*, gratiam per se efficacem, ab iisdem SS. PP. fuisse damnatam.

Hoc prædixisse aut timuisse Salmanticenses in Cursu suo Theologico tom. 5. tract. 14. q. 109. p. 31.

Item Nicolaum De Pavillon Episcopum Alectensem in sua ad Perefixium Parisiensem Archiepiscopum Epistola.

Denique idem prædixisse Joannem Baptistam Gonet Ord. Præd. art. 1. Apologiæ suæ in hæc verba. *Aliqui nuper, ut semper tempus novum aliquid parit, dicere cœperunt Jansenium à Calvino remotissimum esse; forsitan ut viam sibi parent ad aliquid gravius, & quod longo tempore eget, ut* ALIQUANDO *palàm asseratur solam in Jansenio gratiam per se efficacem damnatam esse.*

Quod tot & tales Viri hæc vel timuerint, vel diu ante Exim. D. De Swan. prædixerint, cuivis Viro integro satis esse interpretor, ut videat nullum crimen admisisse Eximium D. De Swean, dum cùm tot tantisque Viris id timendum esse bonis rationibus commonstravit.

§. IV.

Quid §. §. 2. 3. 4. & seqq. usque ad 25. ejusdem cap. 3. agat. Eximius D. de Swaen.

Ostendit illud periculum imminere ab Acatholicis & à Catholicis. Ab Acatholicis quidem illis qui cum Calvino & Authoribus Synopsis purioris Theologiæ Patres Concilii Tridentini solam gratiam quandam versatilem agnovisse sustinent. Ab iis verò Catholicis qui, publicè tueri non verentur, omnem gratiam intrinsicè efficacem ab iisdem Patribus Tridentinis damnatam esse.

Quid enim proclivius, inquit, quam ut è posterioribus nonnullus arguat ALIQUANDO.

In constitutionibus SS. PP. Innoc. X. & Alex. VII. eadem damnatur gratia quæ damnata fuit in Concilio Tridentino. Atqui gratia quæ damnata fuit in Conc. Trid. est omnis gratia per se efficax, ergo in Constitutionibus SS. PP. Innoc. X. & Alex. VII. damnatur omnis gratia per se efficax.

Simili argumento ibidem evincit, verendum esse ab Acatholicis de quibus antè. Quæ quidem ille paragraphis sequentibus invictè demonstrat dum §. 3. & 4. ostendit non solum posse *aliquando* sed jam nunc fuisse tum inter Acatholicos tum inter Catholicos, qui gratiam per se efficacem, per sæpè dictas Summorum Pontificum constitutiones proscriptam esse palam asseruerint.

Fuerunt inter Acatholicos qui dixerunt gratiam per se efficacem esse proscriptam. Leydekerius.

Inter Acatholicos docet fuisse *Leydeketium inter prætensè reformatos apud ultrajectinos Theologiæ Professorem, in Thesibus de Jansenismo, anno 1679. in lucem editis, in quibus, occasione earumdem constitutionum inverecundè asserit, Ecclesiam Romanam in Pelagianismum prolapsam esse.*

Petrus Jurius.

Item fuisse Petrum Jurium apud prætersè reformatos celebrem in tractatu quem inscripsit: *L'esprit de Monsieur Arnaul.* Videlector verba istius Hæretici, quæ citantur illic ab Eximio Domino de Swaen.

Et inter Catholicos. Pater de Vos.

Tum §. 4. exhibet Catholicos qui hoc palam asserere non sunt veriti. Illorum unus fuit Pater De Vos, qui anno 1679. 28. 29. Julii hanc publicè proposuit oppugnandam assertionem: *Quisquis gratiam per se efficacem ita necessariam existimas, ut sine ea opus bonum fieri aut tentatio superari non possit, agnosce te cum eodem* (Jansenio) *impiè, blasphemè & Hæreticè sentire.*

Pater Fabri.

Idem effutiit Pater Fabri in præfatione tom. 1. & ipso in opere suo pag. 96. editionis Coloniensis 1672. *Dico ait, eandem esse gratiam prædeterminantem* (Thomistarum scilicet) *Jansenii & Calvini.*

Pater du Bosc.

Idem ausus est Pater Du Bosc in libro cui titulus *la decouverte d'une novelle Heresie.* Locum nos citavimus §. 7. cap. 1.

Author libri: Defense des nouveaux Chrêtiens.

Nec multùm ab his ablusit auctor libri qui inscribitur: *Defense des nouveaux Chretiens.* Locum lector invenies cap. 2. §. 1. hujus dissertationis.

Alii vexarunt alios gratiæ per se efficacis propugnatores omnis Ordinis & status.

Post hæc §. 5. & 6. alios designat Theologos qui gratiæ per se efficacis propugnatores omnis Ordinis, omnis Status in Gallia & in Hispania, horrendis convitiis & dicteriis onerare non erubuerunt. In Gallia quidem Presbyteros Oratorum, Benedictinos reformatos, Dominicanos, Religiosos S. Genovevæ, Carmelitas Discalceatos, aliosque doctrinæ Sancti Augustini specialiter devotos, omnes Jansenismi insimularunt. In Hispania verò apud Catholicam Suam Majestatem præstantissimos quoscumque Theologos Belgas, PP. Dominicanos & Augustinianos, Canonicos Præmonstratenses,

Capu-

Capucinos, Carmelitas discalceatos, aliosque quamplurimos Jansenismi id est, si eis fides, nefandæ hæresis reos agere non formidarunt.

Propter gratiam se efficacem. Has autem eos calumnias jactitasse ob doctrinam de gratia per se efficaci, ante demonstratum est. Ponit deinde ob oculos latiusque profert Eximius D. de Swaen §. seqq. sex rationes quibus invictè probat subesse periculum non infundatum, ne è Schola Societatis moderna *aliquando* quis inferat gratiam per se efficacem à SS. Pontificibus Innoc. X. & Alex. VII. damnatam fuisse. Rationes has omnes hîc inserere & longum esset & superfluum. Si quis videre eas desideret, adeat, si lubet, dissertationem Eximii D. De Swaen fol. 17. & seqq. manifestè, nisi me fallant omnia, perspiciet quosdam ex PP. Societatis satis liberaliter & retecta fronte carpsisse doctrinam de gratia per se efficaci, dum scriptis suis hos præfixere titulos: *Patres tridentini non modò non faverunt gratiæ per se efficaci, sed adversati sunt. Ostenditur Augustinum positivè adversari gratiæ per se efficaci &c.* quæ & alia plura vide in prædicta diss. fol. 67.

His omnibus si addas ea omnia quibus nos toto Cap. 1. hujus dissertationis probavimus & olim fuisse & etiam num esse Molinistinarum scopum unicum, ut evertant doctrinam de gratia per se efficaci, suamque ei oppositam & versatilem quamdam intrudant, ego profectò nescire me fateor, quid tandem commeruerit Eximius D. De Swaen, dum timendum esse dixit, ne *aliquando* aliqui Molinistæ gratiam per se efficacem, cui jactitant ipsum S. Augustinum, imò ipsum Tridentinum adversari decretis etiam Innoc. X. & Alex. VII. proscriptam esse falsò dictitent. Præsertim cum ut ex antè dictis manifestum est, jam nunc constet fuisse, qui eò proruperint audaciæ & temeritatis.

Unde si peccatum hic est, peccatum est in particula aliquando. Unde si quidquam hîc peccavit Ex. D. De Swaen, in hoc peccavit quod adjecerit particulam *aliquando*, quâ videtur indicare, nec fuisse hactenus, nec etiamnum esse, qui hoc dictitent, sed futuros dumtaxat postea.

Mirum est quod P. van Outers hic sit pisce mutior. Sed ut ut sit, si Ex. D. De Swaen non satis solidè probasset subesse periculum de quo jam sæpè egimus, debebat certè P. Van Outers ostendere infirmas esse in hanc rem adductas rationes, atqui ne respondere quidem tentavit, ne vel ad unam, cum tamen linguam suam non patiatur desiderari, ubi existimat se quidquam posse. Omissis argumentis fortioribus quibus solvendis longè impar est, infirmiora saltem arrodere solet. Hîc totus velut obmutuit.

tuit. Id unum, hominem malè habet, quod Ex. D. De Swaen timori suo, ne scilicet *aliquando* gratiam per se efficacem decretis Apostolicis proscriptam esse quidam palam assererent, multùm virium accessurum putaverit, si Isagoge Patris Van Outers, in qua Censura Lovaniensis vocabatur *futilis*, lucem aliquando videret. Nec hìc iterum probat vanum fuisse hunc Eximii D. De Swaen timorem, sed ingentibus eum conviciis dilacerat; at quantâ stoliditate & injuriâ, strictim hìc demonstrabimus. Nos certè id præter ingenium ac morem nostrum facimus coacti. Interim illum non imitabimur, ut confictis criminibus agamus, sed à conviviis temperantes, objecta tantùm convitia, vel potius convitiorum dumtaxat rationem paucis diluemus. Sit itaque

Non rationibus in Ex. D. de Swaen sed convitiis depugnat.

§. V.

Pater van Outers Censuram Lov. vocat futilem.

PAter Van Outers in sua *Isagoge compendiosa ad Scripturæ adyta penetranda*, superiori anno impressa, omnes fere omnium Molinistarum in Censuram Lovaniensem insultus superare visus est, dum pag. 1. hæc de Censura Lovaniensi effutire non erubuit: *& hanc* inquit, *futilem suam Censuram tam Lovanienses quam Duaceni, rationibus adeò futilibus hac in parte munivere ut erudito cuivis miserationem moveant*.

Eximius D. De Swaen postquam in sua *dissertatione Theologica de gratia per se efficaci*, invictis argumentis ostenderat, verendum esse ne *aliquando* ipsam de gratia per se efficaci doctrinam, constitutionibus Innoc. X. & Alex. VII. condemnatam esse quidam assererent, lectis quæ jam citata sunt, verbis, Patris Van Outers petulantiam cum omnibus Theologis Lovaniensibus admiratus, *quantùm* inquit *timori isti accederet virium si Theses nuper Lovanii impressæ sub hoc titulo:* Isagoge compendiosa ad SACRÆ SCRIPTURÆ ADYTA PENETRANDA, *lucem (quod speramus fore numquam) aliquando viderent.*

Obstupesces procul dubio quilibet rerum intelligens, ubi Censuras illas à Viris Doctissimis æquè ac Catholicissimis tamquam DOCTISSIMAS *ac comprimis* ORTODOXAS *deprædicatas, à Juniore quopiam Theologiæ Professore irreverenter adeo viderit exceptas in verbis sequentibus: Hanc futilem*, inquit, *Censuram suam tam Lovanienses quam Duacenses, rationibus adeo futilibus hac in parte munivere, ut erudito cuivis miserationem moveant.* Puta-

Quam petulantiam Ex. D. De Swaen ad ipsam Censuræ doctrinam putat extendi.

„ Putaverat, fateor, Eximius D. De Swaen, Patrem Van Outers dum Censuram Lovaniensem ausus est vocare *futilem*, ipsam eum Censuræ doctrinam impetiisse & ob hoc unum, Pater ille, Presbyterum cujus nota omnibus probitas est, insimulat doli, vanitatis, insignis vafritiéi, malignitatis &c. vocat ipsum mirificum modestiæ & Christianæ simplicitatis affectatorem, cujus superius relata verba *non tam Doctorem quam veteratorem decent*, aliisque sexcentis Eximiæ probitatis Sacerdotem conviciis, maledicendi libidine abreptus proscindit. Sed jam videamus quo jure.

Primò. Quia is est obvius verborum sensus.

„ Vocas Censuram Lovaniensem, id est librum qui vocatur *Censura Lovaniensis*, futilem. Certè ea verba in obvio & naturali sensu? Legenti mox ingerunt ipsam libri doctrinam vocari *futilem*? Sed vi'n aliud quo potuerimus omnes permoveri, ut existimaremus *doctrinam* libri à te perstringi & vacari *futilem*? *Melchior Leydekerius*, inquis, *Theologiæ Calvinianæ Professor, Censuram Lovaniensem, in Thesibus anno* 1683. *Junii* 26. *defensis*, *vocat* NERVOSISSIMAM AC DIGNAM OMNI LAUDE. Hic tu vestigia premens Erasmi Pilii, per ironiam subjungis: *multùm est laudari à laudato viro*.

Secundò. Quia Pater Van Outers ridet doctrinam Censuræ laudari ab Hæretico.

Quid ais mi Pater? Nunquid Leydekerius Judice Erasmo Pilio, imo te ipso Judice, ipsam *doctrinam* Censuræ dixit esse *nervosissimam ac omni laude dignam*?

„ Dum ergo tu ob hanc laudem Leydekerii, ludibrio Censuram exponere volens, subnectis: *multum est laudari à laudato viro*, an non censendus es ipsam Censuræ *doctrinam*, quam utique laudavit Leydekerius, voluisse exponere ludibrio? Sic equidem censuimus omnes. Sed en tibi aliud. Molinistæ tamquam pro focis & aris sic depugnant pro suis dogmatibus Molinianis: contraria sentientes, ut ante vidimus, factionis incusant & hæreseos. Quin ipsam de gratia per se efficaci doctrinam, palam carpere & condemnatam jactitare quidam non sunt veriti.

Tertiò. Quia Censura Lov. doctrinam carpunt passim Molinistæ.

Quid ergo mirum est, si Pater Van Outers satis calidus Molinista, dum Censuram Lovaniensem, quæ tam solidè refutat doctrinam quam invexit Molina, *futilem* vocavit, creditus sit ipsam libri doctrinam voluisse taxare?

Quartò. Quia Ex. Dom. De Swaen divinare non

„ Quis mortalium umquam cogitasset futurum aliquando Molinistam qui diceret se non inficiari *doctrinam* Censuræ Lovaniensis esse orthodoxam? *Quasi verò*, inquit P. Van Outers *ego Censurarum* DOCTRINAM *improbassem: quasi verò orthodoxam esse inficiatus*

potuit, futurum aliquando Molinistâ qui quodammodo Encomiastem ageret doctrinæ Censuræ. Lov.

tus essem? Quasi de hæresi suspectam pronuntiassem. Attamen hoc Lessius, hoc author Apologiæ de qua superius quem tu *disertissimum* vocas, hoc fecerat Erasmus Pilius.

Nolim equidem existimes Pater Van Outers, nos tibi succensere, quod Censurarum Lovaniensis & Duacenæ *doctrinam* jam non inficieris esse orthodoxam. Contra, est quod gratias tibi pro eo candore animi habeamus. Sed eò dumtaxat hæc adducta sunt, ut ostenderemus quam iniquè, ne quid dicamus gravius, dicteriis proscindas Eximium Dominum de Swaen, quod ipsam te Censurarum *doctrinam* à Lessio, ab authore libri cui titulus: *defense des nouveaux Chrêtiens*, &c. ab Erasmo Pilio, aliisque Molinistis passim impetitam, quam ineptè nobis exprobas ab hæreticis laudari, cum omnibus qui libellum tuum legerant, vilipendisse putaverit, dum Censuram Lovaniensem summâ petulantiâ vocasti *futilem*.

Quintò. Quia Pater Van Outers Censuræ doctrinam ex postulas à Jansenio resuscitatam.

Necdum vides, Pater Van Outers? Accipe aliud argumentum. *Sepulta est*, ais, *atque alto diu pressa silentio* (Censura) donec illam instaurare in fulgurito suo volumine *aggressus est Jansenius, ... Jansenius temeritatis suæ pœnas dedit Orbi notas.* Dic bonâ fide Pater Van Outers, an Jansenium non putes instaurasse Censuram Lovaniensem, non ut Censura est, sed ut complectitur certam *doctrinam*, de Gratia & Libero Arbitrio &c. Non poteris id inficiari, postquam sub finem tuæ Coronidis ipse te apertis terminis circa hanc rem aperuisti.

Cæterùm, inquis, *si de Censuræ utriusque* doctrina *dicere quidpiam animus fuisset, Authores mihi non deerant ..... Illud interim constat*, DOCTRINAM *illam Cynosuram fuisse, quam dum respexit Jansenius, in circumstantes hinc atque hinc scopulos infelicissimè impegit... Plures locos congerit Eminentissimus Cardinalis De Aguirre ex Justificatione præsertim Censuræ Lovaniensis, qui occasionem errandi præbere potuerunt Jansenio, imò quod plus est, errores Jansenii* JUSTIFICATIONI *ipsi assignat.*

Cedo mihi jam, Pater Van Outers, quâ tu fronte jacias conviciorum plaustra in Eximium D. De Swaen Virum optimum, non aliam ob causam quàm quòd, dum Censuram Lovaniensem non tolerandâ stoliditate *futilem* vocasti, putaverit te cum omnibus passim Molinianis, ipsam Censuræ *doctrinam*, quam intelligebas laudatam à Leydekerio, & instauratam à Jansenio, vilipendisse. Hoccine tot tantisque dignum contumeliis? *Mirificus*, inquis, *modestiæ & Chri-*

Vide, quantâ injuriâ, quibus conviitiis Eximium D. De Swaen proscindat Pater Van Outers.

Christianæ simplicitatis affectator pauca verba sed dolo plena, plena fucis, plena vanitate quæque non tam Doctorem quàm veteratorem decent.

Manifestè apparet, quàm subdola, quàm iniqua, quàm maligna sit ejus reprehensio.

Obstupescet enimverò tam parum bonæ fidei esse in Eximio Viro, tam parum sinceræ mentis, tam multùm stropharum & obliquarum artium, in verbis adeò paucis.

Sed respondeamus pacatè ad singula, & Viri Christianam sinceritatem professi summam vafritiem penitùs intueamur.

Et quid alia sine fine memorem, quorum equidem hoc unum præterire non possum: *Cæterùm*, inquit Pater Van Outers, *hic se prodit insignis vafrities & malignitas Eximii Swanii in meis Thesibus arrodendis. Sic eas traducit & detorquet, ac si utriusque Censuræ doctrinam notâ aliquâ sinistrâ afficerent. Hoc ut persuadeat, textum aliquem citat ex Apologia gallica in gratiam Ecclesiæ Sinensis &c.*

Prodit se insignis vafrities & malignitas Eximii Swanii. Bona verba, bone Pater; nimis acris profectò Censura, nimis acris, eaque irrogata ob rem evidenter falsam. Etenim falsissimum est, Exim. De Swaen *ideo* citasse textum quemdam *ex Apologia gallica in gratiam &c.* ut persuaderet *tuas* Theses utriusque Censuræ doctrinam notâ aliquâ sinistrâ afficere. Citavit illum textum ex ea Apologia, ut per hoc, perquè multa alia evinceret periculum esse ne *aliquando* gratiam per se efficacem Decretis Summorum Pontificum Innoc. X. & Alex. VII. proscriptam esse, quidam dictitarent. Sed ineptissimum est & maximè ridiculum, quod voluisset illum textum allegare ut probaret *tuas* Theses notâ sinistrâ afficere doctrinam Censurarum, *Hoc ut persuadeat*, inquis, citat &c. Quæ ineptia! Ipse jam statue, Pater Van Outers, quò tandem redeat *insignis vafrities & malignitas Eximii Swanii*; & statuat velim, æquus Lector, an ingentem Patris Van Outers calumniandi & maledicendi improbitatem ex hac una non liceat æstimare. Quamvis, ut cætera omnia deessent, non magis licuerit Patri Van Outers debachari in Exim. D. De Swaen quàm in alios omnes, qui eodem modo Theses ejus, in quibus Censuram Lovaniensem non est veritus vocare *futilem*, intellexerunt. Invehatur ergo in Eximium D. Sullivane qui Theses illas Patris Van Outers & ita intellexit, & ita ab omnibus intellectas publicè edixit. Quo uno testimonio Eximii D. Sullivaene malevolorum aliquot rabularum os satis superque obstruitur.

Ob rem evidenter falsam.

Et eodem jure debacchari deberet in Eximium D. Sullivaene.

Cujus unius Testimonio, muta fiunt labia dolosa quæ loquuntur adversus justum.

Dum

Nam lege Eximii D. Sullivane. Testimonium.

Dum Thesium Author, inquit Ex. D. Sullivane Thesi defensâ 16. Martii 1693. *Censuram Lovaniensium ut Censuram exagitat*, mirùm, quantum vir istius instituti in libri doctrinam ferri vult videri: adeò ut virum communi omnium Academicorum judicio optimum Ex. D. Mart. De Swaen tamquam nebulonem pessimum " persequatur eo nomine quod hic ipsum crediderit ejusdem libri " doctrinam redarguisse, quod tamen omnes putavimus, saltem " donec oppositum in coronide post annum assuta declaravit Thesium Author; contra cujus hac in parte fidem arietare non lubet. " Cæterum nullum infelicius conari potuit tantâ aspergere infamiâ, " in quantum Lectorum exspectat applausum: nullum minus incommodè, si obligatio restitutionis famæ dumtaxat attendatur, " adeò in tuto est hujus Eximii Viri reputatio. Testamur Academicos omnes notissima est Ex. Doctoris eruditio, charitas, Sinceritas, & singularis vitæ integritas quibus attestari parati sunt etiam " viri primæ notæ inter regulares quos in Eximium Virum hunc " aliosque Acadamicos tamquam in religiosorum osores nonnulli " tanto artificio concitare machinantur. Si in cujusquam nostrum " famam tam fœdè imposterum grassentur, consolationi erit eminentis virtutis virum pœnæ socium habere.

§. VI.

Summatim referuntur quæ hoc cap. 31. dicta sunt.

Dilucidè probavimus Ex. D. De Swaen non nisi injuriâ à Molinistis quibusdam exagitari tamquam qui debitam constitutionibus Innocentii X. & Alexandri VII. reverentiam non præstet, cum hanc eum præstare, sive jus spectes, sive factum adeò sit manifestum, ut non nisi Molinistæ, id est gratiæ per se efficacis hostes acerrimi, hac in re negotium ei facessere possint. Nam ad jus quod attinet, sive dogmata,

Primò damnat quinque famosas propositiones non modò in sensu quem Calvino & Jansenio adscripsit Pater Annatus, sed & in omni sensu quem universa damnat Schola Thomistica.

Secundò damnat eas in omni sensu in quo eas Ecclesia Catholica & Pontifices Romani damnant.

Tertiò quinque Famosis Articulis per discipulos S. Augustini

Episco-

Episcopo convenarum oblatis, à Thomistarum Schola probatis, ab ipsa Sede Apostolica, ut testis est Gonet, commendatis, ingenuè subscribit. Ad factum verò quod spectat, quo quinque illæ propositiones earumque sensus adscribuntur Jansenio Episcopo Iprensi,

Primò Eximius D. De Swaen numquam verbo, numquam scripto asseruit quinque illas Propositiones non rectè à Pontificibus fuisse damnatas.

Secundò nec earumdem sensum in libris Jansenii reperiri negavit umquam.

Tertiò in libris quibuscumque Jansenii nihil probat nisi quod sciente & permittente Ecclesiâ Catholicâ in iisdem probant fideles & Doctores Catholici.

Hactenus tamen existimavit, à privatis quibusdam gratiæ per se efficacis impugnatoribus compelli se non posse, ut juret, vel certè ut fateatur se credere non modò quinque illas Propositiones, sed illarum etiam sensum Hæreticum contineri in libro qui inscribitur: *Augustinus Jansenii*, Idque ob sequentes rationes.

Primò. Quia cum Facultate Theologicâ Lovaniensi mavult hanc de sensu particulari Jansenii, ob studium partium intricatissimam quæstionem ad Apostolicam Sedem referre, quam rixari cum privatis quibusdam, quorum unicus scopus est, ut gratiam suam Molinianam in Scholas Orbis Catholici invehant.

Secundò. Quia suam erga S. Sedem Ecclesiarum omnium Magistram, observantiam, toti mundo vult hâc ratione reddere manifestam, dum paratissimus est omnem earum Propositionum sensum condemnare, quem per Summos Pontifices condemnatum esse, ipsi Sedi Romanæ placuerit edicere.

Tertiò. Quia scit esse non paucos qui Constitutionibus istis Apostolicis non rarò abutantur, dum contra ipsorum Summorum Pontificum disertam voluntatem, gratiam per se efficacem iis Constitutionibus damnatam esse clamitant, vel apud Principes invidiam conflare, vel apud imperitum vulgus exosos reddere, ubique in malam rem abigere nituntur eos omnes qui ipsorum orationibus nutibusque prompto animo subserui re dedetrectant.

Quartò. Quia compertum habet, nihil se in Constitutiones Apostolicas peccaturum, si Majorum suorum, imò SS. Augustini & Thomæ doctrinam constanter tueatur, eamque adversus Molinistarum vanos conatus propugnet.

Quintò. Quia rem habet cum ejusmodi hominibus qui nolunt ei fidem adhibere in aliis v. g. dum dicit se in materia de gratia & libero arbitrio eadem prorsus tueri dogmata quæ universa tuetur Schola Thomistica, eaque eodem omnino sensu, iisdem verbis expressa se intelligere asserit & asseruit sæpissimè. Molinistæ pectoris ejus fibras, quod solius Dei est, velut reserantes, aiunt ipsum hæc omnia animo hæretico dicere: *Etiamsi*, inquit P. De Bruyn in nupera sua Epistola ad Eximium D. De Swaen fol. 6. *Etiamsi millies proclames te esse Thomistam & juratissimum Thomistam, semper restabit justa & violenta suspicio ne id* ANIMO *proclames Janseniano id est hæretico*. Et fol. 7. *Verum quid te juvant testimonia ista omnia si* ANIMO *Jansenianum virus foveas*.

Sextò. Quia illud juramentum vel professionem nihil vel certè parum ad animorum concordiam conducere, & expertus est jam sæpè & quotidie experitur, dum sensus tam varii, tam parum sibi cohærentes, quin & ipsis Apostolicis Decretis, gratiam per se efficacem ab omni prorsus Censura vindicantibus, repugnantes à tam variis, à Molinistis, à Thomistis, à Steyartio, & ipsis rursus Molinisti- secum & cum Thomistis digladiantibus, ipsis etiam Thomistis inter se hìc non convenientibus, & denique Steyartio omnibus sese opponente, quotidie procuduntur.

Unde si quis fateatur quinque illas Propositiones earumque sensum condemnatum, esse in Jansenio, urgebunt Molinistæ, instabunt Thomistæ, nec remittet Steyartius, ut dicat, quis sit ille sensus in Jansenio condemnatus. Jam si sensus aliquis particularis adferatur, vel reclamabunt Molinistæ, vel Thomistæ, vel Steyartius vel omnes fortè simul. Si sensum adferas Steyartii, repugnabunt Molinistæ, repugnabunt Thomistæ: si sensum teneas quorumdam Thomistarum, renitentur Molinistæ, renitetur Steyartius: si sensum proferas Molinistarum aliquot, resistent Thomistæ, resistet Steyartius.

Et ad Molinistas quidem quod attinet, licet candidè subscribas quinque famosis Articulis ab ipso Summo Pontifice, ut testatur Gonet, commendatis, frustra eris, nam illi ad unum usque apicem, doctrinam iis Articulis contentam in Jansenio contineri vociferabuntur.

Atque ita tunc demùm pacem cum ipsis habere licebit, quando gratiam per se efficacem fateberis in Jansenio damnatam, nam ut

unum

unum hic citem ex mille: *Non capio*, inquit Pater Van Outers in suâ coronidæ, *quomodo in eo* (Systemate Thomistico de gratia) *servetur sarta tecta humani arbitrii libertas, merendi & demerendi Facultas, aliaque his connexa.* Dein paucis interjectis, sic prosequitur de Augustinianis: *Licet ipse non assequar, qua ratione Jansenianos scopulos sic evitent, ut in eos non cogantur vel inviti impingere.* Ergo cum Molinistis pacem non obtinebunt Dominicani & Augustiniani, quantumvis damnatum cum damnatis Propositionibus sensum in Jansenio reperiri admittant, nisi gratiam quam SS. Augustinus & Thomas invictissimè propugnarunt, ipsi degeneres filii cum Molinistis impugnent tamquam in Jansenio proscriptam.

Hinc quandoquidem Molinistæ cum Molinistis, Thomistæ cum Thomistis, Steyaerts cum omnibus circa damnatarum Propositionum sensum decertent, mavult Exim. D. De Swaen, cum Episcopis Ecclesiæ Gallicanæ *fidem præstare dogmatibus & reverentiam factis.* Quâ professionne certum est, quidquid occlamitent Molinistæ, Clementem IX. fuisse omninò contentum, qui Summus Pontifex eâ ratione explicavit mentem alterius Summi Pontificis Alex. VII.

Cæterum non amat, ut dixi, Exim. D. De Swaen circa intricatissimam hanc quæstionem cum privatis, aliquot, qui gratiam per se efficacem proscriptam esse volunt, altercari. Amat potius judicium expectare Sedis Apostolicæ, ut quem earum Propositionum sensum illa declaraverit in particulari damnatum, pariter & ipse, quâ par est obedientiâ, damnet, certissimus interim semper se tutò dogma de Gratia per se efficaci posse tueri, cùm certissimus sit hoc dogma ab Ecclesia numquam proscriptum, numquam proscribendum.

Et per hæc confutata est penè tota quanta quanta est Epistola nupera Patris De Bruyn ad Exim. D. De Swaen. Nam hac in Epistola hoc fere unum petit & ad nauseam usque repetit ut Ex. D. De Swaen, quinque illas famosas Propositiones earumque damnatum sensum in Libro Jansenii reperiri palàm fateatur, si modò Catholicus haberi velit. Atqui jam ostensum est, posse illum esse bonum Catholicum, quamvis ob gravissimas rationes, efflagitatu potissimùm illorum qui gratiam per se efficacem in Jansenio damnatam esse contendunt, quique nisi hoc fateare,

contenti erunt numquam, id hactenus non præstiterit, dum non desiderat Vir mitissimus, cum privatis illis de sensu Jansenii molestisque rixatoribus, verborum numquam finiendas pugnas inire.

Sed latiùs excurrit quàm putaveramus hæc ipsa Capitis hujus 3. epitome. Hinc eam majoris perspicuitatis gratiâ dividemus, & quid præter jam dicta, hoc Capite 3. actum sit, §. sequenti videbimus.

§. VII.

Quid § 3. *& seqq. bujus Cap.* 3. *maximè actum sit ?*

Primò ostensum est Eximium D. De Swaen invictis argumentis demonstrasse periculum esse non vanum, ne *aliquando* gratiam per se efficacem damnatam esse dictitent Molinistæ.

Secundò jam nunc fuisse non modò inter Acatholicos sed etiam inter Catholicos qui hoc jactitarint.

Quin imò hunc esse primarium, ut ne dicam, unicum Molinisticorum scopum, dum in tot tantorumque virorum famam tam fœde grassantur hæreses ipsis & factiones affricando damnatissimas, ex iis exemplis & argumentis quæ eximius D. De Swaen, ex iis quæ nos hujus dissertationis cap. 10. exhibuimus, tam est evidens, ut ipsâ pertinaciâ (verè hoc, non oratoriè dicam) videatur esse pertinacior, qui his omnibus visis, hanc rem voluerit in dubium vocare. Cum nullis gratiæ per se efficacis propugnatoribus pacem junxerunt Molinistæ, nec jungent umquam, ejurent licet sexcenties Iansenium ; nisi unâ suam hanc de gratia intrinsecè efficaci doctrinam, ad castra tracti Molinistarum ejurent victi, tamquam in Iansenio damnatam.

Quid ? quod adhuc non ita pridem P. De Bruyn in Epistola quadam ad Ex. D. De Swaen non modò ultrò largiatur isti Doctori fuisse etiam inter Catholicos qui gratiam per se efficacem, per constitutiones Innoc. X. & Alex. VII. ab Ecclesia Romana damnatam esse palam edixerint, sed etiam ex profligatis Manichæismi, Calvinismi, Iansenismi erroribus MAGNUM afferat sumi argumentum contra gratiam per se infallibiliter efficacem : *inficiari* NEMO potest, inquit pag. 45. „ quin ex profligatis illis erroribus MAGNUM argumentum sumatur „ contra gratiam per se infallibiliter efficacem quæ secum dissensum „ absolutè pati nequeat."

Ostensum est igitur propter hoc de gratia per se efficaci dogma Molinistas omnia susque deque vertere, sacra profanis posito omni pudore miscere.

Tertiò Patris Van Outers detecta animi impotentia est, dum in Eximium

imium D. De Swaen ea jactitavit ob vanissimam causam scommata, quæ vix in perditissimum aliquem bipedum jure meritò possis jacere.

Pater Van Outers in sua Isagoge, Censuram Lovaniensem nescio quo ore, vocaverat *futilem*. Eximius D. De Swaen, cum necdum vidisset coronidem ejusdem Patris Van Outers quam anno ferè post assuit, interpretatus est, ipsum cum aliis passim Molinistis loqui, ipsamque adeò Censuræ doctrinam arrodere ac flocci facere. Et habet Ex. D. De Swaen, tum ex ipsis verbis Patris Van Outers, tum ex aliis circumstantiis rationes non leves, ut ante vidimus, ita interpretandi.

Vnde etiam habuit sententiæ suæ adstipulatores, omnes Academicos qui Isagogen istam Patris Van Outers legerant, sed non legerant quæ necdum extabat, ejus coronidem. Nemo profectò exspectaverat futurum aliquando Iesuitam Lovaniensem, doctrinæ quæ in Censura Lovaniensi propugnatur, velut Encomiasten. *Quasi verò,* inquit Pater Van Outers non in sua Isagoge sed in coronide, *ego Censurarum Doctrinam improbassem? Quasi verò orthodoxam esse inficiatus essem? Quasi de hæresi suspectam esse pronuntiassem?*

Verùm demus gratis, nec textum Patris Outers, nec contextum, nec alias circumstantias satis clarè insinuasse Patrem Outers doctrinam Censuræ Lov. voluisse taxare, adeoque Eximium De Swaen sensum Patris Outers hîc non rectè esse assecutum, negari equidem non debet, certè non potest, quin antequàm vidisset coronidem, putaverit & bonâ fide putaverit eum esse sensum. Iam ergo statuat velim, æquus Lector; quo tàndem jure Pater Outers ob tantillam rationem ob rem, inquam, quam Eximius D. de Swaen bonis rationibus adductus est, ut crederet, & optima fide crederet, tantopere eumdem virum exagitet, dictitando ipsum esse: *Modestiæ & Christianæ simplicitatis affectatorem, ejusque Christianam sinceritatem professi* summam *esse vafritiem,* insignem *esse ejus malignitatem* &c. Hæccine dicas verba esse hominis Christiani in Christianum?

Sed benè habet, quod earum calumniarum omnium vim aciemq; frangat & retundat Eximii D. de Swaen Innocentia. Qui enim vitæ integer, linguâ cautus, actione modestus, quid à calumnia timeat? Ut locis lævibus & politis ægrè sordium aliquid adhærescit, sic maledictum, sedem vix invenit in vita puriore. *Vt ignis*, scribit Cicero *in aquam conjectus continuò restinguitur: sic falsum crimen in castam vitam.* Tam casta porrò Eximii D. de Swaen vita est, ut ausim hic Historiunculam attexere Romanam & applicare. Æmilius Scaurus homo Senex multæque in Rep. authoritatis apud Pop. Rom. à Vario quodam non ejusdem Existimationis homine, proditionis accusabatur. Is paucis verbis absolvit: Varius, inqnit, Sucronensis ait Æmilium Scaurum Remp. prodidisse. Æmilius Scaurus negat utri creditis?

Ad hanc vocem totius populi suffragiis atque etiam Tribuni sententiâ absolutus est. Jam applicemus, sed absit tamen omnis invidiosa nimis comparatio: Pater van Outers Iesuita ait Doctorem de Swaen Christianæ modestiæ & simplicitatis esse affectatorem: Doctor de Swaen negat, utri creditis? Totius populi suffragiis absolutus est D. de Swaen.

CORONIS.

CErnunt opinor, Molinistæ, quam præcipiti linguæ petulantiâ, viros quosque non minore morum probitate quàm doctrinâ præditos, passim depingant ut veteratores, malitiosos, simulatores, factiosos, hæreticos dum non aliam ob causam his eos criminibus lacerant, quàm quod, ut in hac dissertatione rebus evicimus necessariis, doctrinam propugnent de gratia per se efficaci, prout ea in Scholis Catholicis communiter propugnatur.

Hac ob causam, Molina & Molinæ discipuli in ipsum Cælum, os suum posuerunt, dum magnum illud Ecclesiæ Lumen Augustinum, imperitum fuisse, stupidum, cœco impetu abreptum, & tantùm non hæreticum, non ferenda stoliditate sunt calumniati "Intolerabile nobis visum „ est (queruntur in præfatione Censuræ suæ Majores nostri) quod „ non solum adversus pelagium & ejus hære des infeliciter laborasse „ Augustinus fingitur, sed idem quoque de Lutheranismo ac Calvi„ nismo suspectus redditur tamquam imperitus, stupidus, ac cœcus „ habetur, ut non modò gratiæ ipsius, de qua disserebat, vim natu„ ramque nescierit, sed nec arbitrii humani libertatem, ne monitus „ quidem, dogmate suo evertere se senserit. „

Hæc est Princeps ratio ob quam tot Episcopos, tot Religiosos Ordines, tot S. T. Doctores, Viros omnes quorum summæ eruditioni respondebat morum integritas, in Hispania, in Gallia, in Italia imò ubique apud summos infimosque nefandæ factionis & hæreseos confidenter insimularint.

Hæc causa est quod in Censuras Lovaniensem & Duacensem, quæ sunt velut unguis in ulcere, tam insulsis scommatis tanto impetu abripiantur.

Hoc potissimum nomine invaduntur modò RR. PP. Dominicani, Augustiniani, Carmelitæ, &c. modò vapulat Ex. Dom. Huygens, modò proscinditur Ex. Dom. Hennebel, modò laceratur Ex. Dom. De Swaen, modò defertur Ex. Dom. Charneux, modò ridetur Amplissimus D. Steyaerts, & proclamatur *Iansenii Mango*, modò hi malè perduntur modò illi, modò omnes simul comminuuntur malè prout rebus suis melius expedire censuerint Molinistæ.

Decernite jam, quæso obsecroque, omnes integri rerum arbitri, quibus tandem imputandæ sint omnes illæ inter viros Ecclesiasticos

turbæ

turbæ, omnia dissidia, quibus Belgica nostra tam miserandum in modum tanto jam tempore in partes scinditur. Illisne qui libellos, quibus suam de gratia & prædestinatione doctrinam propugnant, Apostolicæ Sedis judicio & examini subjicientes, post diligens examen, pro responso accipiunt, *libellos esse sana doctrina, nulli Censuræ obnoxios, posse tutò doceri, & legi, adeoque & imprimi.* An verò aliis quibusdam vitilitigatoribus, qui à doctrina quam majores nostri à tempore Eugenii IV. Pontificis, qui Theologicam Facultatem Lovanii erexit, tradiderunt, nos deturbare studentes, hesterna Molinæ dogmata obtrudere quoquo modo, perque omnes mundi plagas moliuntur diffundere ? Omnem tumultuum culpam in nos conferunt Molinistæ; at aliis forsan magis nasutis occurret versiculus:

Quis tulerit Gracchos de seditione querentes.

Queruntur de seditione, qui in omnem ætatem, statum, Ordinem sine fronte debacchantur. *Quis tam felix aut sapiens*, ait Justus Lipsius in oratione de Calumnia, *qui jactet ab ea* (Calumnia) *esse liber? Nemo. Paratum enim strictumque lividum illum dentem in omnes habet sed tamen in eos maximè qui magni. Quicumque quacumque in re excellit, hunc it depressum. Et ut si qui ruere ædificia volunt, columnas primò subtrahunt: sic hæc cui perdere genus humanum libido fit, perdit eos, quibus innixus publicus hic status. Prudentes, probos, doctos, hostes omnes habet: & eos modò criminationum machinis violentè concutit, modò suspicionum cuniculis callide subuertit........ Et quid de hominibus queror, aut rebus humanis. proh summe* Deus! *nec tibi quidem parcit. & tuo cælo. In rebus enim divinis & Religione invenis jam quod exagitet: per quod nos, imò te lædat. Tua enim illa vox decretumque est, tua sanctio:* ABDITA MENTIUM COELESTI MENTI RESERVANDA: *nec pectoris hujus fibras pulsandas cuiquam aut reserandas, nisi qui eas fecit. At calumnia aliter. Et passim jam (ò labem nostri Ævi) oculos, linguamque illuc conjicit & adyta interioris hujus templi scrutatur & calcat. Ille in Religione parum purus est, ille parum fortis, tertius parum apertus. Et quid jam superest, nisi ut palàm & per præconem, animi nostri sensa citentur ad Calumniatorium hoc tribunal.*

His ego verbis non habeo quod addam. Illud unum velim, omnes à partium studiis liberi, imò ipsi etiam Molinistæ secum reputent, & seriò meditentur, in quos tandem Lipsianus hic sermo maximè quadret cadatque, an non scilicet in eos eorumque Asseclas qui in ipsum primò Augustinum, dein & in alios sententiæ Augustinianæ defensores, optimos quosque non modò doctissimos, lividum suum dentem strinxerunt. Cæterum si & in me hunc fortè velint stringere, & maledictis incurrere in benè monentem, forti hæc infractoque animo feram, nec ob ipsorum calumniandi improbitatem, relinquam ego in Respondendo modestiam.

FINIS.

APPROBATIONES.

Quid ô bone Jesu! Quid & quod hi, qui Gratiæ tuæ Victorias loquuntur & Triumphos, qui Gratiæ tuæ Regnum & vitam tuentur, qui gratiæ tuæ virtutem & gloriam deprædicant, quasi necessitantis causæ mancipia traducantur, quasi ultimæ fæcis homines despiciantur, quasi Hypocritæ & duplices corde audiant apud nonnullos? An ergo hi in corde suo non videant quòd plus potentiæ tuæ quàm suæ tribuendum sit? An plus à se quàm à Te expectent? An meliùs se acturos existiment, dum à se quam à Te agentur ut agant? An libertati potiùs quàm Liberatori faveant? An se sibi meliùs quàm se Tibi committant? An in voluntate sua tutiùs licet infirma, quàm in Tua optima & potentissima quiescant? An gloriam & laudem Gratiæ tuæ tecum dividere velint? An datum pro Gratia pretium non sit par toti ejus gloriæ tibi Redemptori comparandæ? An Reus cum Innocente æqualiter partiri velit, imò partem meliorem sibi arrogare? Reus cum Deo? Hoccine credibile! Illorum quis non misereatur! Quis ad hæc non suspiret, non ingemiscat? Veni Domine Jesu, veni & noli tardare, ostende Potentiam tuam & veni, neque tunc opus erit Apologias conscribere pro defensoribus Gratiæ tuæ; sufficiet unica Protectio tua, & hujus sub alis suaviter requiesceret Vir bonus & Servus tuus. Exim. D. De Swaen sine hac Apologia, nisi aliis Confratribus quibusdam visa fuisset pro merito causæ necessaria: eam legi & nihil occurrit quod inoffenso pede non percurratur, cuncta meo judicio sunt irreprehensibilia & bene-fundata: hinc censeo dictam Apologiam posse publicari. dab. hac 15. May 1693.

JOANN. LE BEAU *S. Adalberti Curat. Exam. Synod.*

Apologia hæc non tantum Eximium Dominum De Swaen, sed etiam gratiam per se efficacem ejusque præconem præcipuum S. Augustinum strenuè defendit contra inanes oppugnatorum machinas; cumque nihil contineat aut fidei, aut modestiæ Christianæ regulis dissonum luce publicâ digna est. Ita censui Antverpiæ hac 21. Maii 1693.

ARNOLDUS EYBEN Cath. Antverp. Canonicus Theol. Librorum Censor.

ERRATA.

Pag.	Lin.	Error.	Corr.
6.	34.	certò	certè
10.	36.	distincti	distincto
11.	1.	quid	quin
11.	13.	queris	quæris
12.	12.	&	ut
12.	25.	responderet	responderent
22.	6.	in ipsam	dele *in*
22.	20.	Thomisticæ	Thomisticè
34.	6.	invecturas	invectivas
36.	7.	Societas	Societatis
37.	12.	indicabat	judicabat
37.	21.	Sententia	adde: *fuit*
40.	24.	cum	enim